



Christian Friedrich Mühlenbruch

De Veterum Romanorum Gentibus Et Familiis Prolusio


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCVII


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005151032>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU jurist. 1807

Mühlenbruch, C. F.







7.

DE
VETERUM ROMANORUM
GENTIBUS ET FAMILIIS

PROLUSIO.

QUAM

LECTIONIBUS HIBERNIS PRAEMITTIT

C. F. MÜHLENBRUCH,

IURIUM IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI DOCTOR.



ROSTOCHII,

TYPIS ADLERIANIS MDCCCVII.

1807

INSTITUTUM ROMANORUM
GENTIBUS ET FAMILIIS



LECTORIBUS ET LIBRARIIS

C. M. MONTANARI

INSTITUTUM ROMANORUM

ROSSICA

LIBRARIIS ET LECTORIBUS

P R A E F A T I O N E M.

Ex rerum cognoscendis causis, earumque investigandis originibus, non voluptatem modo, sed fructum etiam insignem, qualem vix ullo alio modo capere solet, quisquis scientiarum sacra rite intrare vult, nec rudem rerum scitu dignarum congeriem memoriae mandasse satis habet. Quare nec ulla fere disciplina, quo melius intelligatur, historia carere potest; multo tamen minus jurisprudentia, quippe quae mere est historica, atque solis innititur factis. Quid vero de ea, quam tot populi colunt dicam jurisprudentia Romana? quam, non esse mutabile ac inconstans unius hominis opus, sed, ab exiguis sane profecta initiis, per multorum seculorum spatium in tantam subinde excrevisse praestantiam, quotquot vel leviter eam perstrinxerint, non nesciunt. Sunt enim rigidae illae atque rudes duodecim tabularum leges, ejus quoque, quod nostrum fecimus juris Romani fundamenta; quae quidem auctae deinde et refictae et correctae, brevi ita immutatae sunt, ut si a Decemviris ad *Servii Sulpicii* Icti tempora subito transgrediaris, natum adeo conspicias degeneratum, ut ab eadem esse ortum genitrice aegre credas; passim tamen harum, quae apud plurimos jam spretae contemptaeque jacere coeperunt, legum vestigia adhuc deprehenduntur, neque

insignis earum usus in jure quoque novissimo explicando solertem legum Romanarum indagatorem effugiet. Religio enim erat Romanis, quae a majoribus instituta erant, temere immutare, vel abrogare adeo. Mutatis vero civium moribus, cum minus jam convenirent leges antiquae, neque tamen novis legibus in melius mutaretur res; prudentes, nec non illi, quorum erat edicta publice proponere, quod res jam postulabat fecerunt, atque per innumeras fere ambages, refingendo, supplendo, addendo, jus illud rigidum temporibus ac aequitati magis magisque aptarunt; ita tamen, ut non nisi explicare jus pristinum, quaeque jam in illo continerentur expromere, nec aperte inde declinare viderentur. Poterant postea quidem imperatores, pro imperio, rem conficere, et ea saltem abolere, quae a temporum ratione longe jam aliena essent; continuatam tamen sub iisdem quoque esse rem uti coeperat, ex egregiis illis, quae in Pandectarum corpus relata, temporis injuriam effugerunt, Jureconsultorum fragmentis videmus. Longe quidem aliter res se habuit in imperatoribus Christianis, qui consulto adeo antiqua transformare novaque invenire studebant. Verum enim vero ex rationibus eorum allatis, saepenumero eos ne intellexisse quidem quae abrogare vellent, nec, uti prudentem decet legislatorum, omnia quae animo concipi possent rerum momenta, provido perpendisse judicio; sed omni paene insuper habita ratione, causas nonnumquam rerum temere abolevisse, quae vero exinde necessario consequerentur diserte adeo confirmasse, satis superque apparet. Nihil fere, ut quod res est dicam, innumeris decretis edictisque effecerunt, nisi ut omnibus paene confusis perturbatisque, in pejus rem perducerent; ac postremo tandem a divo *Justiniano*,

qui rudi sane Minerva legislatoris suscepit provinciam, ita implicata est res, ut saepius doctissimi quique, ad prudentiam civilem explicandam se accingentes, aquam sibi haerere, seque penitus desperare, libere fateri haud dubitent.

Invita igitur Themide ad jus Romanum illustrandum quisquis accedet, nisi historicis satis sit instructus praesidiis, et egregie, more suo, Jacobus *Cujacius*, se historia, tanquam aureo hamo in jure civili piscari, abditaque scrutari, et e tenebris in apertam lucem trahere, ait. — Male sane, si quid video, agunt, qui artis dialecticae opera omnia se confecturos sibi persuadeant, et nudis ratiociniis ac calumniis, criticesque (egregiae illius artis, modo caute adhibeatur) abusu, conciliare conantur, quae aperte male cohaerent; atque nimis ingeniolis suis indulgentes, legislatoribus, ut ab inconstantiae opprobrio eos liberent, subdunt rationes, quae numquam fortasse iis in mentem venerint; — simulatam ni fallor philosophiam, non veram affectantes. Sane qui lucis aliquid affundere jurisprudentiae, et justitiae potius quam litigandi causa jus tradere velit, ei, absque omni favore, studio et superstitione, absque tamen et sua aliis obtrudendi furore, liberaliter in verum legislatoris ac legum indaget atque inquirat sensum, errores, nec non quae male sibi congruunt ingenue detegat, denique *Vinnii* (quem, quanti aestimem verbis exprimere non possum) sequatur rationem necesse est, qui „quod legislatoribus, in condendis legibus placere videmus, id in earum interpretatione nobis sequendum est; vitandaeque argutiae, subtilitates, scrupulositates, distinctiones ac differentiae nimiae.“ — Sic demum legum interpretis vere proderit iudicibus causarumque patronis, quippe qui

leges uti sunt applicare debent, nec illos nec cives artem iniquam in alienum eas rapere sensum, juvat didicisse; — sic demum futurus legumlator, quomodo vitet scopulos, quibus, qui illum praebant undique impingi videt, rite edocbitur.

Talia atque alia, cum animo olim mecum agitare, libellum componendi, in quo omnis res familiaris Romanorum ex historia ac jure civili deprompta exponeretur, accurate quam mihi ipsi imposueram lege observata, consilium cepi. Nulla sane dignior mihi visa est res, cui operam et studium meum impenderem, quam quae tam late patet, et gravissimae juris Romani parti illustrandae, inservire potest. Plurima enim, quae in hereditatibus, in bonorum possessionibus, in adoptionibus, in innumeris denique aliis rem familiarem propius attingentibus, in jure Justiniano nos impediunt atque offendunt, quin, quae paene inextricabilia saepius nobis esse videntur, numquam sane tolli posse poterunt, nisi harum disciplinarum origines ab antiquissimis inde temporibus sedulo indagemus, vicissitudines deinde earum ordine prosequamur, nec non rationes, quoad ejus fieri potest, tam crebrae rerum conversionis exploremus, et ita legislatorem in ipso quasi deprehendamus opere.

Alacriter opus aggressus sum. Mox tamen cum, vires meas tali quod sustuleram oneri nondum esse pares sentirem, praeterea nec satis essem instructus subsidjis litterariis, opus vix coeptum, cujus ne minima quidem pars paucis absolvi potest, in tempus magis commodum differre apud animum constitui. Sic jam per annum et quod excurrit res quievit. Scribendi vero causa quadam nunc mihi nata, ad argumentum propositum denuo redire, e re

mihî visum est. Quia tamen tempora brevitati studere me valde admonebant, nec dum de omnibus satis mihi constabat, praecursoriam disputationem operi praemittere uberiori, de qua, eruditorum sententias prius audire vellem quam ipse altiora aggrederer, melius duxi.

Jam habes lector prolusionem! Inscripsi eam: de veterum Romanorum gentibus ac familiis. Maximi sane momenti res, mirum tamen in modum a doctis hominibus antea neglecta. Non defuerunt quidem, post jurisprudentiam ab *Alciato Cujacioque* restitutam, egregii scriptores, qui argumentum nostrum tractandum sibi sumerent; inter quos non solum Jureconfulti, sed literarum quoque elegantiarum cultores; (excellentissimi quidem ingenii viri, quorum tamen scripta haud raro legitimae scientiae defectum insigniter redolent). Tantum vero abest, ut eorum opera jam sit confecta res, ut potius (quod tamen pace tantorum virorum dixerim) ne vix ac ne vix quidem exsisterit ullus, qui acu tantum id, in quo praecipue res vertitur, tetigerit. Praeterea et hic (quod in scientia nostra saepius fieri solet) nonnulla de alio ad alium tradita, atque sine ulla ratione, neque satis explorata re, in communium, pessimae sane notae, opinionum numerum, jam jam recepta, quia genuinam veritatis cognitionem impediunt, radicitus sunt extirpanda. Operae igitur pretium facturus mihi visus sum, pro mediocri virium mearum modulo, ingenio ac eruditione, in ea quoque, qualiacumque sint, ad hanc rem expediendam conferre. Sint licet minutiae, quas profero, quibus, ut penitus intelligatur res effici nequeat; nonnulla tamen a me esse dicta, ab aliis non observata, quaeve me eruditioribus occasionem forsan suppeditare possint, me-

liori successu hanc suscipiendi provinciam, invenies. Id certe mihi tribuo, nec jam ante acta me egisse, nec plane instituisse alienis vestigiis, me reprehensum iri posse; et adeo (praeviscini tamen dixerim) occurrent tibi fortasse aliqua, quae, quia omnino veterum innituntur monumentis, iisque nec detortis nec durius interpretatis, certo haec ponderanti iudicio, non minus ac mihi probabuntur. Neque tamen omnino, quae ab iis qui me praeiverunt dicta sunt repudiavi, sed, quae vel egregie ab illis in medium prolata, et ab aliis haud accurate observata, vel adeo neglecta esse animadverti, — vel, quae minus recte proposita, quaeve majori aliquo cum apparatu rejicienda sunt, apponere non dubitavi. Ea tamen utique, qua decet modestia, atque sine ira et studio, (quorum quippe! causas procul habeo), quae mihi displicerent sententias refutare conatus sum, nec ita, ut vel obloquendi pruritu abreptus, vel, quo plura ac difficiliora ipse scire viderer, errores tantum viris doctissimis objicerem.

Erunt quidem, qui alto supercilio disputationem hanc despiciant, inutilemque plane ac supervacaneam esse eam, a ratione quippe forensi maximam partem abhorrentem, judicent. Non invideo illis eorum oblectamenta, neque ut mea invideant mihi, atque suam quemque trahere voluptatem inmemores sint, precor. Quodsi vero multa perperam nec satis curate, plurima inculta adeo ac rudi oratione dicta deprehenderis, me edoceas melioraque depromas ex animi quidem voto velim; facilem tamen te praebeas reprehensorem, dum praecursore meliora aliquando prodeant, et inter praelectiones academicas ac fori strepitum, sane mihi jam pertaesum, libellum fuisse exarandum, memineris, etiam atque etiam rogo te atque oro.

§. I.

*Variae de gentibus et familiis in medium proferuntur sententiae;
nec non de Romanorum nominibus quaedam adsparguntur.*

Quas de Romanorum gentibus et familiis uno fere ore tradere solent docti homines notionem, prius exhibeamus necesse est, quam nobis ipsis eo quo decet modo, rem aggredi licet. Sunt tamen eae (quod in antecessum jam monemus) ita comparatae, ut, licet verae sint, accuratam tamen gentilitatis atque agnationis cognitionem, quaeve utriusque sit ratio, minime ex ea hauriamus, et de eo potissimum, quo tandem omnia hic redeunt, in suspenso plane relinquamus. — Gentiles (ita fere inquirunt), sunt, qui ab eodem genere suat orti, et eodem appellantur nomine. Pluribus vero familiis, quarum singulae cognominibus distinguuntur, quaeque constat gens; atque omne inter gentiles et familiares, seu agnatos discrimen, in eo est positum, ut illi ejusdem gentis ac nominis, ejusdem familiae ac cognominis hi vero sint *).

*) FESTUS de Verb. Signif. h. v. C. SIGONIUS de *nominibus Romanorum* cap. 4. (in GRAEVII thesauro antiq. Rom. Tom. II, p. 1966). Idem de *antiquo jure civium Romanorum* Lib. I. cap. VII. Onuphrii PANVINII de *antiq. Romanor. nominib.* (ap. GRAEV. T. II. p. 1998) Rich. STREINIUS in praefatione libelli sui de *gentibus et famil. Rom.* (ap. GRAEV. T. V. p. 1074.) Quam quoque invenies praefationem in libro cui titulus: *De Romanor. gentibus et familiis scriptores* duo praestantissimi, Antonius AUGUSTINUS et Fulvius URSINUS. *Cum utili et necessaria nobilissimi cujusdam viri praefatione.* [Fulvii et Augustini (quorum iterum scripta Graevius in tomo VII operis sui egregii ac nitidissimi. typis excudi curavit), nec non Steinii aliorumque opera, non nisi jejunam exhibent gentium et familiarum descriptionem, seu genealogiam potius.] — ALEANDER et OISELIUS in notis ad CAJI institutiones Lib. II. tit. VIII, §. 6. (in SCHULTINGII *jurisprudencia ante Justinianea* p. 142. 43) GOTHOFREDUS in notis ad XII tabul. tab. IV. verb. *Ast si agnatus* etc. (in OTTONIS *thesaur. jur. Rom.* tom. III. p. 169.) BRISSONIUS de verb. signif. v. *gens, gentilis, gentilitas.* HEINECCIUS *syn. antiq. jur. Rom.* Lib. III. Tit. II. §. 2. ERNESTI

Alia quidem ratione alii, minime haec sufficere, et accuratius rem esse persequendam bene intelligentes, explicare eam conati sunt, ita „gens est, inquires, universitas civium Romanorum ingenuorum, qui ab eodem primo stipite jure Romano ingenuo, nulla capitis deminutione interveniente, per masculos descendunt cum stipite communi. — *Gentiles* sunt cives Romani ejusdem gentis, de quorum *tamen proximitate gradus non constat*. — *Familia* est universitas civium Romanorum, qui ab eodem stipite, cive Romano ingenuo, qui tamen gentis princeps non est, per masculos descendunt cum stipite communi *).“ Sed quod nec hi confecerint rem, pluribus infra demonstrabitur.

De variis prius Romanorum nominibus, quam ultra progrediamur, quo rem integram agamus, delibemus quaedam. — Tribus Romanos, ingenuos certe, usos esse nominibus, notum est quam quod notissimum; praenomen puta, quod cuilibet personae proprium erat, nomen gentilitium, seu nomen κατ' ἐξοχην, quod universae erat commune genti, ac cognomen, quo singulae in eadem gente distinguebantur familiae. Nominibus gentilitiis **)

clavis Ciceron. index latinit. v. *gens*. Multo adhuc incertiore faciunt rem, antiquarii quidam NITSCHIUS v. c. et ADAMUS qui, ne originem quidem ab eodem ultimo genitore desiderantes, omnes ejusdem nominis jam fuisse inter se gentiles volunt.

*) *Ernest. Marr.* CHLADENIUS de *gentilitate veterum Romanorum* (edit. 2da §. 2.), et qui cum eo faciunt: de SELCHOW in antiq. jur. Rom. §. 411 et C. F. GLUECK in der hermeneutischen Erörterung der Lehre v. d. Intestaterbfolge. (Erlang. 1803.) § 57. p. 147. — *Diatribam* primum de *gentilitate veter. Romanor.* ediderat *Chladenius* (Wittenb. 1738 4.), quae, variis observationibus aucta, denuo prodit Lips. 1742. 4. Quem repetitae praelectionis librum, quamquam nihil fere inexpertum reliqui, meum tamen facere non potui, quapropter, de iis quae post diatribam novi protulerit *Chladenius*, non nisi ex scriptoribus qui compilarunt eum, mihi constat.

**) Quae in *ius*, tantum non omnia, flexa fuisse, quo gentis derivatio vel potius ejus origo significaretur, jam observarunt: SIGONIUS

omnes omnino gaudebant cives, et quamvis nonnulli expertes eorum fuisse videntur (v. c. *C. Norbanus*, *M. Agrippa* aliique *)), in iis tamen, incuria in lapidibus atque reliquis antiquorum monumentis omiſſa, tantum non deprehendi, crederem. —

Ad accipienda cognomina, neceſſitas primum Romanos ſuaſit, quo melius, qui ejuſdem eſſent in urbe nominis ac prænominis, inter ſe diſtinguerentur **). Exempla quidem, licet rara admodum, duobus tantum nominibus, prænomine ſc. ac nomine gentilitio, uſos eſſe quosdam, obveniunt nobis; qui vero ex familia nova atque obſcura fuiſſe videntur, uti hoc e *C. Mario* intelligi poteſt. — Quartum et nonnunquam deprehenditur nomen, quod agnomen audit, de quo tamen valde inter ſcriptores ambigitur, ita ut tot fere invenias ſenſus, quot capita. — Cognomentum, quod vel ſtirpem in eadem familia ſpecialeſ indicaret, vel ob rem geſtam, vel ob fatum, vel ob habitum corporis animive cui eſſet adjectum, alii, alii ejuſ e qua quis adoptione egreſſus ſit gente, nomen gentilitium, quod adoptatus adhuc retineret, tradunt fuiſſe; aliter denique alii explanare rem conantur ***). Quam mirum in modum implicat CICERO, qui, quod aliis dicitur agnomen, cognomen aliquoties vocat ****), unde promiſcue ambo uſurpata eſſe,

de *nominibus* cap. 4. (ap. GRAEV. T. II. p. 1965. 66. PANVINIUS de *nominibus*. (ibid. p. 1995. 96.) HUGO *Rechtsgesch.* (edit. 3.) §. 23 in f.

*) SIGON. et PANVIN. l. c.

***) SIGON. l. c. cap. 6. (GRAEV. II. p. 1983).

****) SIGON. de *nominib.* c. 5. init. — GRAEVIUS in praefatione ad T. II. theſauri, cui adjecta eſt appendix de *agnomine* et *cognomine*. Vid. et anonymum quoddam de *nominibus impoſitivis* ſcriptum, quod vulgo *Tito PROBO* tribuitur; in GOTHOFREDI *auctores latinae linguae in unum redacti corpus* p. 1397. HEINECCIUS *antiq. jur. Rom.* Lib. III. tit. II. §. 2.

****) v. c. in orat. pro *Muraena* c. 14. in ſecundo libro de *officiis* c. 16. in *Laelio* ſ. de *amicitia* c. 2. cfr. et NEPOS in *Ariſtide* cap. I.

conjunctiones. Diferte tamén a cognomine separat agnomen ISIDORUS *), quod alio fortasse loco et idem fecit CICERO **). Quod tamen in medio relinquamus, neque temere affirmemus neque rejiciamus, de quibus, nobis ipsis nondum satis constat; praesertim, cum ad accuratiorem gentium ac familiarum cognitionem, vel plane nihil, vel minimum tantum ea faciunt, nec ulteriorem disputationem nostram impediunt.

§. II.

E cognominum similitudine, familiae ac agnationis rationem non esse repetendam, demonstratur.

Accuratius examinemus nunc, quae ab iis, qui *Chladerium* praevire, ad discrimen inter gentem et familiam innuendum, proferri solebant: ejusdem sc. fuisse familiae, qui simile in eadem gente haberent cognomen. — Quid vero? quod fuere familiae, quae pluribus gauderent cognominibus, fuere et, quae prorsus eis carerent, quaeve saepissime eadem mutarent? In promptu sunt exempla. Sic in gente *Cornelia*, *Maluginensium* et *Scipionum* erant familiae, quarum *Cossi* altera atque *Arvini*, altera vero *Asinae*, *Barbati*, *Hispali* atque *Nasici* uterentur cognominibus ***). Aliud adhuc, sis, tibi exhibeam exemplum ****). Quatuor erant in gente *Valeria* familiae, quarum prima *Volusi*, secunda *Flacci*, tertia *Falcones*, *Laevini* quarta cognominatae fuisse fertur. In *Volusorum* vero familia, nonnullas pluribus cognominibus usas esse stirpes, nonnullas saepius ea mutasse; filium adeo nonnunquam patris jam omisisse cognomen ac plane adsumpsisse novum, idque de-

*) *Originum* lib. I. c. 6. (ap. GOTHOFRED. p. 823.)

***) *de inventione*, lib. II. c. 9.

****) Rich. STREINIUS de gentib. et famil. Romanor. (ap. GRAEV. T. VII. p. 1106. 1107.)

*****) STREIN. l. c. p. 1091. seqq.

nuo ab ejus esse neglectum filio, qui itidem, vel novum adoptaret, vel ad avitum rediret nomen, videre licet. Stemmata quae a nonnullis in medium prolata sunt scriptoribus, diligentius si inspicias, plurimas adeo deprehendes familias, quae ita neglexerunt familiae nomen, quod primitus fuerat, ut postremo penitus id evanesceret *).

Quare et a doctis hominibus passim, qui ipsi antea in cognominum similitudine, omnia posuerant, haud dubiis vero veterum testimoniis mox edocti, ex cognominibus alia quidem ad posteritatem quam longissime fuisse propagata, alia vero, ne ad filios quidem pervenisse, quaesitum esse memini: num hereditaria fuerint cognomina **)? quod sane, modo sibi convenire vellent, ab illis quidem quaeri numquam debuisset. — Num vero cum CHLADE-
NIO ***), talem in gentem tandem degenerasse familiam, nec ultra, qui in ea erant, sibi fuisse agnatos, sed gentiles tantum, hinc colligamus? — Quanta quaeſo, inde demum nasciturae fuissent gentes! Tot scilicet, quot stirpes, modo per aliquot secula propagatae essent familiae. Praeterea et in *eadem fuisse familia*, hae stirpes varie cognominatae, diferte traduntur. Nec, si ita ratiocinaremur, ulla hujus rei reddi potest ratio, sed fortuito quodammodo omnia eveniunt. Ad cognominis enim similitudinem et hic tandem omnia redeunt; aperte vero exinde efficeretur, ut non nisi hi, qui casu fortasse idem retinuerint cognomen, ex agnationis jure sibi invicem haeredes existerent, ad caeteros vero, proximo licet essent gradu, ex jure tantum gentilitio defunctorum bona devolverentur. — Civem Romanum finge esse defunctum, duobus relictis filiis, quorum alter, nescio qua causa, patrium mutaret cognomen, alter vero id retineret; quo tandem et ipso nullis superstitibus suis heredibus extincto;

*) Alia videbis exempla apud Ant. AUGUSTINUM, *de famil. et gentib. Romanor.* (in GRAEVII thesaur. T. VII. p. 1181).

***) SIGON, *de nominib.* c. 5. PANVINIUS *de nominib.* (GRAEV. thes. T. II. p. 2042.)

****) in diatr. *de gentib. et famil. Rom.* §. 23. p. 38.

num ad fratrem ipsius consanguineum, vel remotiorem agnatum, qui eodem forte cum defuncto uteretur cognomine, pervenisset hereditas? Pervenisse eam ad agnatum remotiorem cum *Sigonio* aliisque necesse est respondeas. Quod tamen numquam esse factum, nec adeo pro juris ratione fieri potuisse, ita liquet, ut nulla sane probatione res egeat.

Accedit tandem huc, nonnullas fuisse familias, in quibus cognomina vel plane non deprehendantur, vel serius tantum recepta sint *); in aliis denique, omnes ejusdem gentis familiae, eodem gavisas esse cognomine. Sic de *Metellis* *FESTUS* „*Metelli*, inquit, dicuntur in re militari quasi mercenarii. *Attius* annalium vigesimo septimo, calones, famulique metellique caculaeque, a quo genere hominum *Caeciliae* *FAMILIAE* (i. e. genti) *cognomen putatur dictum* **).“ Quibus tamen casibus, qui vulgarem amplectuntur opinionem, nullo omnino modo a gente familia distingui potuisse, nec non nisi proximitatis sive agnationis jure successiones locum habuisse, concedant necesse est ***).

Satis superque, uti arbitror, exinde jam intelligi poterit, quam ex cognomine vulgo repetunt rationem, quo familiam distinguant a gente, inutilem plane esse ac falsam.

§. III.

Num e consanguinitatis proximitate, quod inter gentem interest ac familiam determinari possit? disputatur.

Accuratiores esse videtur, quam in secunda libelli de gentibus et familiis veterum Romanorum editione, protulit definitio *Chlade-*

*) L. 2, §. 37. D. de O. I. (I. 2.) cfr. et Jac. CURTIUS conjecturalium, Lib. I. c. 28. (in OTTONIS thesauro. T. V. p. 118.)

***) de V. S. voce: *Metelli*.

***) cfr. et AUGUSTINUS de gentib. et fam. Romanor. p. m. 1165. URSINUS de gentib. et fam. p. 1281. STREINIUS l. c. p. 1124.

nus: fuisse gentiles civēs Romanos ejusdem gentis, de quorum tamen proximitatis gradu non constaret. Quam et me quondam amplexum esse, haud inficias ibo, adjecta tamen limitatione, vel determinatione potius, qua accuratius definiretur res. HOTOMANNI *) enim mihi probabatur conjectura: *ad decimum usque agnatorum gradum familiam computari, in ulterioribus vero gradibus constituti gentilium numero haberi.* Justinianus enim: „Hoc loco, inquit, et illud necessario admonendi sumus, agnationis quidem jure admitti ad hereditatem, *etsi decimo gradu sit*, sive de lege duodecim tabularum quaeramus, sive de edicto, quo Praetor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis vero nomine iis solis Praetor promittit bonorum possessionem, qui usque ad sextum gradum cognationis sunt, et ex septimo a sobrino sobrinaque nato nataeve.“ Sed *Justinianum* exempli tantum gratia hic esse locutum, satis evincitur per §. 3. I. *de legitima agnator. success.* et L. I. §. 2. *de suis et legitimis heredibus* **). Ratio quoque nulla reddi potest, cur nec ultra decimum gradum processerint Decemviri? nisi tam insipida ac inficeta, quam occasione similis quaestionis: cur nimirum Praetor dando bonorum possessionem, sextum fere non excefferit gradum? profert *Modestinus* ***) „quia ultra eum gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur.“ Quam tamen ita veram, ita egregiam esse existimaverunt, ut suam facere haud dubitarent viri illustres MYNSINGERUS, HOTOMANNUS atque WESEMBECCIUS ****), qui ita *Modestini* interpretarentur sententiam: quoniam naturalis cognatio propter vitae humanae brevitate ultra sextum gradum non producat!

-
- *) in comment. ad §. 5. Instit. de success. cognator.
- **) XXXVIII. 16. cfr. et §. VIII infra.
- ***) l. 4 pr. de gradib. et adfinib. (XXXVIII. 10.) cfr. et PAULUS in receptis sent. Lib. IV. Tit. VIII. §. 8.
- ****) ad §. 5. Inst. de succ. cognator.

Merito vero eos explodit VINNIUS *); cujus, quia dignissima sane sunt, quae legantur, beneque animo reputentur verba, subjungere hic placet: „Haec ratio, inquit, perspicue inepta ac falsa est. Tractatur enim hic non de successione adscendentium aut descendentium, sed eorum, qui ex latere veniunt, quos ultra sextum aut septimum gradum, qui reperiri posse negat, eum necesse est sanae mentis non esse. Et vero si natura ultra eum gradum neminem patiatur vivere, nec patietur ultra vivere agnatos. Cur ergo hos, licet longe remotiores sint, et jus civile et Praetor admitti voluit**)?“ Caeterum in excusandis *Paulo* atque *Modestino*, cum generaliter loquuntur hi, incassum laborant *Vinnius* atque *Bachovius*; nec intelligo equidem nec omnino assequi possum, quid sibi velit, quod uterque ait: „respexisse, *Paulum* saltem, ad successionem superiorum et inferiorum, i. e. eorum qui sunt in linea recta et transversa inaequali.“ — Nam et in inaequali perinde ac in aequali linea transversa, vel vicesimo, quinimo vel centesimo inter se distantes gradu reperiri posse, certe mihi persuasum habeo.

Sed missam nunc quidem hanc rem faciamus, cum, quod *Chladerius*, et illi qui tanta cum acclamatione eum sequuti sunt, fuisse volunt gentilitatis fundamentum, minime sufficere, jamjam liquet. —

Quid vero, quod diserte inter gentiles referuntur, qui plane sibi non sunt agnati? Unde longe alia progrediendum esse via, quo, quae sit natura, quae ratio gentilitatis, melius intelligatur, quis jam non videt?

*) ad eandem I. §phum nr. 2. cfr. BACHOVIVS ad eundem Instit. locum.

***) cfr. et STRYKII tractatus *de success. ab intestato* (opera praestantiora Halae 1746. Tom. IV.) Dissert. III. cap. I. §. 29. et Diss. XII. cap. 3. §. 24. Jos. AVERANIVS interpretat. jur. Lib. I. cap. 13. nr. 2 et 40 pr. KOCH Bonorum possessio §. 15. p. 207.

§. IV.

Gentium Romanarum origo ac progressus enarratur.

Omniū gentium Romanarum accuratius inquirere originem, nec unquam in animo fuit, nec in tanta antiquitatis obscuritate probe fieri posset. Id vero egi, ut e vasto historiae atque antiquitatum Romanarum campo, eas tantum depromerem atque inter sese jungerem res, quae viam sequentibus munirent quasi atque praestruerent.

Quum jam cum aliis Albae incolis consilium communicassent novam condendi urbem, juvenes gemini *Romulus* et *Remus*, ad stipulante iis magna Albanorum manu, nec non ex agro ubi educati erant accito pastorum grege, e sede regia avita migrarunt. Inter illos et ex optimatibus nobiles, quinquaginta ferine gentes (πεντηκοντα μαλισα οικουε) fuisse, DIONYSIUS *) auctor, fide sane dignissimus est. Qui vero non ideo reliquerant patriam, ut regi juveni servirent, sed animum in id potius intenderant, ut ipsi regni participes fierent, vel saltem, quae antea jam habuissent jura retinerent. — Solennis autem tum temporis erat his quoque regionibus, mos graecus atque antiquus **), quo, praeter quod omnes communi jure tenet vinculum, alio, quod inter privatos tantum consistebat, adhuc obligarentur cives; siquidem nobilissimi quique atque opibus pollentes, praeter uxores et liberos, extraneos etiam homines, qui vel ab iis erant manumissi, vel alia quadam ex causa se illis applicaverant, non tuebantur modo, sed regebant adeo et sub imperio paene habebant; — quod tamen summum in republica imperium, nisi ipsum propius attingeret, minime curabat *Patronorum* illi, *clientum* reliqui, qui non cognationis sed alio quodam

*) DION. *Halicarnassensis* antiq. Rom. Lib. I. (edit. SYLBURG fol.) p. 72.

***) DIONYS. Lib. II. p. m. 84.

vinculo cum iis erant conjuncti, *gentis sive familiae* nomine cuncti venerunt. — Quod non esse abolendum, sed augendum potius, ac magis magisque muniendum, ratus est rex. Ex finitimis enim populis humili quoquo atque obscuro invitato allectoque, quum civium numerus mirandum in modum cresceret, egenos inferiorisque fortunae homines (agrestium maximam partem atque perfugarum turbam), quo prouiores ad legitimum reipublicae imperium subeundum fierent, et quo magis in populi unius corpus coalescerent omnes, quem vellent ex nobilibus, qui vel cum eo Romam iam pervenissent, vel ultra in civium numerum cooptati essent, patronum sibi legere iussit.

Patronos clientum quasi esse patres, de jure illis respondere, causas eorum agere, primum accusationis impetum, si in jus vocarentur suslinere, nec non curam absentium aequae ac praesentium suscipere oportebat. — Clientum vero erat, colere patronos, et pecunias in sumptus eorum nonnumquam erogare; ita, ut in filiabus elocandis, si patronis parum esset opum eos adjuvarent, vel ipsos, vel filios captos ab hoste redimerent, multas publicas ac privatarum litium aestimationes pro eis solverent, in magistratibus muneribusque gerendis caeterisque publicis impendiis sumptuum partem sustinerent, atque sine foenore pecunias illis crederent. Cautum denique est: ne jus esset fasque alteris accusare alteros, vel adversum dicere testimonium ferre (suffragium *). Mortuo cliente, jus patris, verum etiam ejus erga patronum officia, in liberos transibant, quorum impuberum legitimam patronum suscipere oportebat tutelam, sicuti clienti sine liberis defuncto, legitimus quasi existeret heres. — Quae, licet in tanta antiquitatis caligine pro certis quidem affirmare non ausim, simillima tamen sunt veri. Cui enim, quae so, deficientibus liberis, proximiori deferri potuit hereditas, quam ei, quem quasi parentem colebat demortuus? Hoc vero posito, reliqua inde jam quoque efficiuntur; apud eum enim tutelae

*) DIONYS I. c.

esse solet onus, apud quem hereditatis sunt emolumenta. Faciunt huc, si quid video, legum duodecim tabularum verba, quae ita in *tab. quinta* restituit *Jac. GOTHOFREDUS*: „Si libertus intestato moritur, cui suus heres nec escit, aut patronus patronive liberi escint, ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adduitor“ (*bona addicuntor*). Quae quidem legis dispositio de libertis tantum loquitur, non tamen errare mihi videor, si haec patronorum in bona libertorum jura, antiquo juri clientelari accepta referam, cum et patroni nomen inde profectum, libertorum non nisi ratione postremo retentum sit. Quid? quod in prima urbis origine, clientes maximam partem vel vere erant liberti, vel certe tam obscurae atque ambiguae originis, ut ne vix fortassis quidem existerent ulli, qui ingenuitatem demonstrare possent; quare nec potior illorum ac libertorum esset conditio.

Sed jam e diverticulo ad rem redeamus. — Gentis principes, quasi clientum qui sibi erant subjecti, sustinerent vicem, in consilium adscivit Romulus, qui in civitate regenda eum adjuvarent; ita, ut nihil statueret, nihil moliri, quod alicujus esset momenti, sine eorum consilio posset *). Patres sunt appellati, ac progenies eorum patricii; eosque solos ad munera obeunda publica, ad sacra, ad omnia denique quae reipublicae bene administrandae interserviunt, curanda, idoneos esse voluit rex. Plebeji cluebant, qui in nexu clientelari fuere, eorumque erat agros colere et quaestuosam exercere officia; qui, quo melius provinciam sibi demandatam sustinerent, a negotiis publicis omnes semovebantur.

Jam inter ipsos scriptores antiquos, quod patriciorum attinet *ετυμολογ* erat dissensio. Vehementer *DIONYSIUS* invehitur in eos **), qui inde patricios dictos esse contendunt, quod hi soli pa-

*) *LIVIVS* Lib. I. cap. 8. „Centum creat senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia solum centum erant, qui creati patres possent.“

**) Quos privatae adeo indulgere invidiae, atque obscuri generis calumniam urbi impingere, arguit l. c. p. 83.

tres possent ostendere: quasi fugitivorum turba, nec valentium proferre patres ingenuos, caeteri fuerint. Quid vero sibi velit homo graecus? non intelligo, cum paulo ante ipse ait: secevisse Romulum, genere illustres, *quibus essent liberi*, ab hominibus obscuris atque egenis; haud vero ita multo post, causas enumerans, unde fluxerit patrum et patriciorum nomen, haec inter alia profert: „potiores patricios vocavit, sive quod aetate anteirent alios, *sive quod haberent liberos*.“ Quid vero exinde efficitur, nisi, adeo fuisse incertam plebejorum originem, ut ne patrem quidem ingenuum exploratum habere possent? Quam inter ipsos quoque Romanos maxime receptam fuisse sententiam, ille LIVII *) locus clarissimus citra omne collocat dubium, ubi P. *Decium Murem*, ex plebe hominem, qui enixe legem de plebejis inter sacerdotum numerum cooptandis suavit, sic verba facientem inducit: „Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, *vos solos gentem habere*, vos solos justum auspiciam domi militiaeque. — En unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de coelo demissos, sed *qui patrem ciere*“ (h. e. demonstrare, nominare,) „possent; id est, *nihil ultra quam ingenuos?* Consullem jam *patrem ciere* possum, avumque jam poterit filius meus.“ — Quorsum etiam spectant *Cincii* verba apud FESTUM **), qui „Patricios, ait, eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur ***).“ —

Secundum Romanorum regem, *Numam Pompilium* quatuor reliquisse filios, *Pomponem*, *Calpum*, *Pinum* atque *Mamercium*, ab iisque Pomponiam, Calpurniam, Pinariam et Mamerciam Romae esse propagatas gentes, traditum legimus ****). Quid?

*) Lib. X. c. 8.

***) Voce: *patricius*.

****) Cfr. SIGONIUS de antiquo jure civ. Rom. Lib. I. c. VII. (in GRAEVII thesauro T. I. p. 84. 85).

*****) SIGONIUS de nominib. Romanor. c. 3. (in GRAEVII thesauro T. II. p. 1969.) PANVINIUS de nominib. Rom. p. m. 1996. CHLADENIUS l. c. §. VIII. p. 12.

audio quærentes, num forte patriciorum quisquis propriæ gentis princeps, sive auctor, esse potuit? Imo non potuisse, ita in promptu sunt, ut disputatione fere non egeant; tot enim in orbe Romano gentes quot patriciorum stirpes mox exstitissent necesse foret. Nihil tamen minus, quod de Numae filiis in medium modo protulimus, in omnibus, quibus hac de re aliquid est consignatum veterum monumentis, quasi rem haud dubiam enarrari videmus, ita ut id negare nulli fortassis in mentem veniat. Quomodo vero expediamus rem, adeo impeditam? De re minime certa hic disputetur; suam ergo cuique conjecturam proponere licet; ecce meam: Primis quidem temporibus, in *novis familiis* ultra descendentes agnatio fere non patuit, cumque patris hæreditatem inter sese distribuissent filij, nihil porro communia illis erant, sed cum suis sacris domesticis, uxoribus, liberis atque clientibus, propriam constituebant gentem; id quod mox vero, earum, quæ cum Romulo et aliquando post, Romam aliunde, jam integræ, ut ita dicam, pervenerant, gentium exemplo, ita mutatum est, ut omnibus ab eodem communi stipite ortis, sacra ac hæreditaria jura essent communia, nec ex gente sive familia egredi cui liceret, nisi vel adoptione, vel adrogatione, vel in manum conveniendo in aliam transfiret gentem, vel renuntiando juribus gentilitiis ad plebem se convertere mallet; quo tamen facto, novæ gentis auctor esse non potuit, sed, uti et alij e plebe homines, genti alicui patriciæ se applicare eum oportebat. — Nimis tamen temere cum CHLADENIO inde colligeres, e Numæ demum temporibus nominum gentilitiorum originem esse repetendam. Quid enim notius, quam, Fabios, Julios, Antonios, aliosque, ab hoc jam inde ævo, quod urbis originem longe præciret, gentem ac nomen trahere? —

Liberti, quia omnes in plebejorum numerum relati sunt, perinde ac illi in nexu erant clientelari. In dominorum vero erant gente, quorum et nomina gentilitia adoptabant, eaque ad progeniem suam propagabant. Itaque si ipse erat dominus plebejus, *non deteriore ac ipse manumissor, conditione utebatur libertus*. Factum tamen subinde est, ut manumissor (fueritne patricius vel ple-

bejus, nil intererat), prius in ipsum libertum patronatus exerceret jura; liberti vero progenies demum, ab omni erga manumissorem soluta nexu, ei solum, quae in gente regnum tenebat familiae patriciae, esset addicta. Discrimen hinc inde invaluit, inter patronatus jus quod genti et quod manumissori competeat; prisco clientelae juri illud, manumissionibus hoc debebat natales.

Perinde fere in novis civibus res se habuit; quos nisi simul patriciatum, et quod inde jam efficiebatur, propriae gentis jus adipiscerentur, patronum e civibus novis sibi eligere oportebat, cujus deinde sequebantur gentem atque nomen. Quamquam vero optio illis esset, quem vellent, patronum sibi legere, plerumque tamen ei se applicare solebant, cujus beneficio, vel adjumento potius, in impetranda civitate erant usi. Sic apud *Ciceronem*: Q. Lutatium Diodorum Q. Lutatii Catuli beneficio a Sulla civem Romanum esse factum; item, Demetrium Megatem, Siculum, quia P. Cornelii Dolabellae ope civitatem impetraverat, P. Cornelium fuisse appellatum, legimus *).

Neque vero nobis desunt exempla, quae, si vellem, larga adeo manu suppeditare possem, in patriciorum numerum illico esse cooptatos cives novos. Quod factum jam esse, Romulo adhuc regnante, traditum est, cum, foedere inter Sabinos Romanosque icto, illorum multis jus civitatis Romanae impertitum est. Fuere enim et inter eos, cum cognatis atque clientibus, nobiles quidam, qui se, tamquam omnium in urbe jurium expertes, plebi tantum immisci Romanae, haud sane paterentur, cum et eorum rex, Titus Tatius, id adeo impetrasset, ut aequa lance regnaret cum Romulo **). Sic continuatum, et insequenti quoque tempore, tam

*) Oratio in *Verrem* IV. c. 17. *epist. ad diversos* Lib. XIII. ep. 36. Cf. tamen *ibid.* epist. 36. ubi et, suo esse usos nonnumquam arbitrio cives novos, in eligendis patronis, occurret tibi exemplum. — [Caeterum de servorum, libertorum et novorum civium nominibus, vide omnino: PANVINIUM l. c. p. 2046 sqq.]

***) Jam tum temporis, ex novis incolis aequali numero adlecto, patrum numerum duplicasse Romulum, quasi rem haud dubiam uar-

sub regibus, quam in libera civitate atque deinde sub imperatoribus, patrum ac gentium numerum subinde auctum fuisse legimus, tam aliunde accitis nobilibus, quam e plebe cooptatis proceribus, qui tamen nec omnes in senatum recepti sunt, non magis ac omnes patrum filii erant senatores. — Quae vero innuisse tantum sufficiat, atque non nisi in uno alterove, quod propius paululum rem nostram attingere videatur, subsistamus.

Centum Tarquinium Priscum in patres legisse, qui *minorum gentium patres* deinde appellati sunt, cum majorum gentium nomine venirent, quorum majores jam a Romulo patres essent creati, LIVIUS *) auctor est. Quae, jurium ipsorum differentiam haud indicasse nomina, alii jam observarunt **). Sed et egregie inde confirmatur conjectura, antiquissimis certe temporibus non nisi apud patricios fuisse gentem, quod minorum gentium *patres*, h. e. *principes s. auctores novarum gentium* vocabantur, qui in patrum numerum postea recepti sunt.

Idem LIVIUS, exactis demum regibus, Brutum, primum Romanorum consulem, ad trecentorum summam patrum numerum explese, primoribus equestris ordinis lectis, ait ***). Facili qui-

rat DIONYSIUS l. c. p. III, addito insuper: quod uno consensu omnes paene historiae Romanae scriptores id prodant, paucis tantum de adscriptorum patrum numero variantibus, et, non centum, sed quinquaginta tantum, in senatum fuisse cooptatos, adfirmantibus. — Aliud quidem placet LIVIO (*Histor. Lib. I. c. 15. et 17*); re vero diligenter deliberata, non possumus quin *Dionysii* sententiae hic adjiciamus calculum. Maneat tamen adhuc sub iudice lis, per me licet, cum haud multum certe rei familiari Romanorum inde affundatur lucis.

*) Hist. Lib. I. c. 35. Idem et de L. Bruto factum testatur TACITUS Libr. XI annal. c. 25. cf. et DIONYS. antiq. Rom. Lib. III. p. m. 199.

***) v. c. SIGONIUS de *antiquo jure civ. Rom.* Lib. I. c. VII. (in GRAEVII thes. T. I. p. 88); nec non magna scriptorum caterva ei adstipulantium.

****) Lib. II, cap. I.

dem inde colligere licet negotio, jam tum proprium Romae fuisse equitum ordinem; quomodo vero is patriciorum attingeret et plebejorum ordines? accuratius non noscitur. Quali acunque sint, quae in hanc rem protulerint docti homines, mihi quidem ita eam explicare placet: Fuisse haud diu post urbem conditam familias plebejas, quae, divitiis ut tum ferebant tempora, atque virtute praepollentes, se aliis quasi servire, aegre ferrent, et mox, ut in equitum numerum reciperentur, obtinerent. — Quod *militiae genus* erat honestissimum tum temporis, adeo ut, qui ita militarent, alienae esse subjectos genti, a ratione civili abhorrere videretur. Factum vero exinde est, ut tertius in civitate Romana oriretur ordo, qui equestris nomine venit; quod quidem, eas duntaxat, quae a patrum auctoritate essent liberatae, familias plebejas equis stipendium facere posse, haud indicabat nomen, sed inditum illis est, quo melius, tam a patriciis, quam a reliquis, qui sub patriciorum adhuc quasi erant imperio, plebejis, discernentur. Necdum, ab initio quidem, quae ita sua conditione uti coeperunt, familiae, omnibus fruebantur jurebus gentilitiis; natales vero inde duxisse gentes plebejas, licet non certa, veri tamen sunt simillima. Equites enim fuisse plebejos, DIONYSIUS *) auctor est sane locupletissimus; haud vero ita multo post, quam illorum mentionem injiciunt scriptores antiqui, atque in primis fere reipublicae cunabulis, propria jam nobis plebejorum nomina gentilitia perhibentur **).

Ultra tamen mox progressa est ferox, atque suarum virium fiducia plena plebs. Haud enim ita multo post regum ex urbe ejectionem, jam hoc enixe facescit negotium, ut imperium vel prorsus abrogaret patriciis, vel cum iis saltem communicaret. Jam diu ille, qui a Romulo institutus vel potius confirmatus erat inter patri-

*) *antiq. Rom.* Lib. V. p. 287.

**) v. c. C. *Licinius*, qui primus tribunatum plebis gessit. LIVIUS II. 33. AUGUSTINUS *de gentib. et famil. Romanor.* (ap. GRAEV. T. VII. p. 122.)

cios atque plebejos, negligi atque paene dissolvi coeperat, nexus clientelaris; adeo, ut jam non nisi manumissori fortasse praestaret officia libertus; ejus vero progenies se et illi et patriciis, quorum nomen gereret, ullo omnino teneri jure jamjam negaret, atque ingenuos esse, a duobus, qui servitutem non serviissent nati, jactitaret *). Quapropter et factum est, ut non ultra eos mox se porrigeret ratio clientelaris, qui vel specialiter se applicassent patrono (v. c. cives novi), vel alio singulari, manumissionis puta, cui essent devincti vinculo **). Verum enim vero, si non de facto, uti ajunt, sed de jure certetur, hunc nexum clientelarem, in quo lex omnes plebejos, exceptis forsan equitibus esse voluit, nondum fuisse abrogatum, negari sane nequit. Neque quidquam inexpertum reliquere patres, quo magis jura sua conservarent; hinc illae intestinae inter eos, plebemque discordiae, hinc illi motus atque plebejorum secessiones, patriciorum hinc superbia ac insolentia, nec non immodicae petitiones, quibus mox aere alieno obruebatur plebs. Quapropter et *Valerius* dictator ita apud *LIVIUM* ***) „optabitis inquit, propediem, ut mei similes Romana plebes patronos habeat.“ — Patres enim, quo adversus bellum Volscum imminens nomina daret plebs, non diutius eam adeo superbe adeoque violenter vexatum iri, eidem promiserant. Finito vero bello, cum adhuc tergiverfarentur, neque fidem promissam servarent, perfidiam eorum atque saevitiam illis opprobrans dictator, se quidem non ultra cives frustraturum, neque eorum, quae in plebem ei competerent jurium modum excessurum, affirmat.

*) SIGON. de antiq. jure civ. Rom. I. VII. p. m. 85.

***) De ejusmodi libertis DIONYS. (VI. p. 376.) loquitur, in illa celeberrima, plebis in montem sacrum secessione, patricos solos, cum clientibus pro republica arma cepisse commemorans. Cfr. IDEM Lib. VII. p. 433. et LIVIUS II. c. 35.

****) Lib. II. c. 31.

Inter varios deinde tumultus ac reipublicae perturbationes, ad XII tabularum leges usque, quibus tandem mutua patrum ac plebis jura accuratius definiebantur, processit res. — Quarum paucula non nisi nobis supersunt fragmenta legum, quae tamen si diligentius inspexeris, facili inde colligeres negotio: antiqua illa patronatus jura, *fons ac origo jurium gentilitiorum*, jamjam fere abolita, patriciis nunc fuisse propemodum restituta. Non enim ita anxie a Decemviris patriciis prohibita fuisset dignitatum atque sanguinis inter utrumque ordinem commixtio, nisi id agerent, ut familiarum jura, quantum fieri posset, conservarent.

Neque tamen in servitute temere ruebat plebs, sed vige-
bat per multorum adhuc annorum spatium, inter plebejos patres-
que inveteratum illud odium internecinum, Vicit autem postremo
plebs, quae patriciorum privilegia omnia, publica aequae ac privata,
subinde sibi conciliabat, ita, ut a tribunis plebis ad quaesturam
mox, ad curiam, ad consulatum, ad dictaturam, ad censuram, ad
praeturam, ad pontificatum denique atque inauguratum, omni-
us impatiens morae festinaret, et patriciis nihil fere nisi nudam relin-
queret dignitatem. Post tandem connubia inter patres plebemque
concessa, jura quoque gentilitia (jamjam vero propemodum, in solo,
eorum qui inferiore in eadem gente utebantur conditione, heredita-
tes capessendi jure circumscripta), in plebejorum certe praecipuas fa-
milias, translata sunt *); quod tamen non sine magna patriciorum
(quippe qui diu adhuc, apud se solos esse gentem gloriarentur),
controversia, factum esse existimaverim. Novo vero a praetore in-
troduco ordine succedendi, cum infrequenter admodum bona de-

*) Cave tamen cum SIGONIO Antiq. Rom. Lib. I. c. VII. p. 85. viro antiquitatum Romanarum alias peritissimo, jam quemcunque ex duobus ingenuis natum, quive patrem eicere posset ingenuum, propriam habuisse gentem, existimes. Postremis adeo reipublicae temporibus fuere adhuc familiae plebejæ, quae, quamquam majores ingenuos haud dubie indicare jam possent, genti tamen patriciae essent subjectae.

functorum pervenirent ad gentiles, qui nec de hoc sibi conservando jure hinc inde essent solliciti, evanescere pedetentim coeperunt hereditates gentilitiae, atque in usu omnino esse tandem desierunt.

Haud equidem a re alienum foret, in tempus quo tandem interiit gentilitas diligentius hic inquirere; quia vero, quae a scriptoribus hanc in rem dici solent, nudis, uti ipsi fatentur, innituntur conjecturis, nec quae in re adeo obscura certiora tradam, ipse habeo, nec, ab aliis jam dicta repetere, et, ut ita dicam, ruminare quasi, vel alias super alias cumulare conjecturas, juvat, *Alexandri* certe *Severi* aevo omnino jam fuisse abolita haec jura gentilitia, inquisse sufficiat *).

§. V.

De vario familiae vocis sensu differitur.

Late familiae vocabulum patere, atque tam in res quam in personas diduci, ne tirones quidem in jure Romano fugit **). Verbi vero significationi huic solum immoror, qua ad personas, et quidem ad eas refertur, quae naturali vel civili aliquo vinculo, invicem sibi conjunctae sunt. Sed optimum hujus rei interpretem, *ULPIANUM* nostrum audiamus, qui ita: „familiae appellatio, inquit, refertur et ad corporis cujusdam significationem, quod aut *jure*

*) *ULPIANUS* lib. regular. Tit. 26. §. 1. verb.: „nec gentilitia jura in usu sunt.“ et *SCHULTING.* in notis ad h. §. not. 14. (in jurisprudentia ante-Justinianea p. 666). *CAJUS* in collat. legum Mosaicar. atque Romanar. Tit. XVI. §. 2. verb.: „Qui sint autem gentiles, primo Commentariorum et ultimo est: et cum illic admonuerimus, gentilitium jus in desuetudinem abiisse, supervacuum est hoc quoque loco de ea re curiosius tractare.“ (ap. *SCHULTING.* p. 794.) *HEINECCIUS* syntagma antiq. Romanar. Lib. III. Tit. III. §. 8. *CHLADENIUS* in diatr. de gentilitate veter. Rom. §. 31 sqq.

***) De variis vocabuli hujus significationibus. videbis: *BRISSON.* de Verb. Signif. sub voce *familia*. *P. VICAT* vocabular. juris utriusque h. v. *Jos. AVERANIUS* interpret. jur. Lib. III. c. 28. nr. 7.

proprio ipsorum, aut *communi* universae cognationis continetur. Jure proprio familiam dicimus, plures personas, quae sunt sub unius potestate, aut *natura aut jure subjectae*, ut puta patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum sequuntur, utputa nepotes et neptes et deinceps. Pater autem familias appellatur, qui in domo dominium habet: recteque hoc nomine appellatur, quanvis filium non habeat: *non enim solam personam ejus, sed et jus demonstramus*. Denique et pupillum patremfamilias appellamus, et cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subjecta fuerunt, singulas familias incipiunt habere: singuli enim patrumfamiliarum nomen subeunt: *idemque eveniet et in eo, qui emancipatus est: nam et hic sui juris effectus, propriam familiam habet*. — *Communi jure familiam dicimus omnium agnatorum*, nam etsi, patrefamilias mortuo, singuli singulas familias habent: *tamen omnes qui sub unius potestate fuerunt, recte ejusdem familiae appellabuntur, qui ex eadem domo et gente prodi sunt*. — Item appellatur familia plurium personarum, quae ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: *sicuti dicimus familiam Juliam, quasi a fonte quodam memoriae* *).

Vel *communi jure vel proprio*, uti ait Jureconsultus, h. e. vel sensu latiori vel strictiori, familiae vocabulum accipitur. — Latius voce accepta, et, *quam gentem vulgo vocant, familiae nomine venit* **). Quorsum collineant FESTI ***) verba: „familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et materfamilias. Unde familiae nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum,

*) L. 195. §. 2 et 4. de V. S. (L. 16.) cfr. et L. ult. Cod. de Verb. et rer. Sign. (VI. 38.)

**) Huc respiciens I. H. BOEHMERUS, in *notis ad Institutionum*. Lib. I. tit. 15. §. I. (nota u) „Est, inquit, — familia, ad quam omnes stirpes referuntur, et gentis nomine venit, et hi agnati vocantur.“

***) de Verb. Sign. f. v. familia.

et familiares ex eadem familia.“ Ita et de amplis et honestis familiis plebejis, CICERO *), et de familia Porcia POMPONIUS **) loquitur. — Neque tamen gens universa, sed non nisi nobilior gentis pars, seu, quae principem in gente locum tenet, unde reliqui omnes nomen adsumpserunt, familia hic appellatur. Sunt vero ejusdem familiae: omnes omnino agnati, remotissimo licet sint gradu; i. e. omnes, qui vel natura vel jure ejusdem patris potestati subjecti fuissent, modo ultimus adhuc viveret generis auctor ***).

Sensu deinde verbi magis circumscripto, *singulae agnatorum lineae, vel stirpes in eadem familia principali, quae eodem*

*) orat. pro L. Muraena cap. 7.

**) L. 2. §. 38. D. de O. I.

***) Meliores, quam quae vulgo in medium proferri solent, de agnatione atque cognatione notiones, habet GLUECKIUS V. Cl. in der *Intestaterbfolge* §. 14. p. 41; qui tamen, quod magni hic est momenti, subjectionis sub eadem patria potestate vel verae vel fictae, minime rationem habuit. — Miror vero, virum, accuratissimum alias, §. 45. p. 120 ad verbum paene retinuisse quam ipse modo respuit falsam notionem. — Causam caeterum, maxime probabilem meo quidem judicio, cur ad solas virilis sexus personas a ICTIS nostris restringi coeperit agnatorum nomen, affert Jac. PERIZONIUS in *Dis. de lege Voconia* (in dissertationum triade. Daventriae 1679. p. 196). Ex ratione denique a nobis allata, suos quoque sub agnatorum voce contineri, jam apparet; quod et per l. 12. §. 3. de *suis et legitimis heredibus* (XXXVIII. 16.) et l. 10. §. 3. de *gradib. et adfinib.* (XXXVIII. 10.) ubi diserte sui proximi patrum agnati vocantur, evincitur; et in l. 1. §. II. de *successorio edicto* (XXXVIII. 9.), filius adeo, qui tempore vel repudiatione exclusus est, ex parte edicti: unde legitimi ad bonorum possessionem iterum admittitur. — Nihilo tamen minus contrariam tueri sententiam conatur ARNAUDIUS (Var. conjectur. Lib. I. c. 6). Sed videbis PUETTMANNI *interpret. et observationes jur. rom.* lib. sing. c. X. ubi ex instituto contra Arnaud. agitur; Jan. a COSTA ad §. 1. I. de legit. agn. tut. SCHULTING ad *Pauli rec. sent.* Lib. IV. tit. 8. §. 13. not. 36. GLUECK l. c. §. 53. p. 138. not. *).

proxime utuntur ultimo genitore, familiarum voce continentur. Sic enim intelligendus SÜETONIUS**), qui „ex gente, inquit, Domitia, duae familiae claruerunt, Calvinorum et Ahenobarborum.“

Jure denique proprio, vel sensu strictiori, non nisi hi ejusdem esse familiae dicuntur, „qui *sunt* sub unius potestate, aut natura aut jure subjecti, utputa paterfam. materfam., filiusfam. filiafam., quique deinceps vicem eorum sequuntur.“

Perinde ac *familiae*, *domus* itidem vocabulum *πολυσημεν* est ac generale, neque ad solum earum, quae sub eodem patrefamilias continentur personarum complexum utique restringendum **). Quamvis enim nonnumquam et ita accipi hanc vocem videmus ***), saepenumero tamen et omnes omnino sub ea comprehenduntur agnati, idemque fere significat, quod *Stammhaus* vernacule dici solet. — „Recte enim, inquit *Ulpianus*, ejusdem familiae appellabuntur, qui ex eadem *domo et gente* proditi sunt ****).“

Quas hic recensui familiae vocis significationes, tantum quo commodius demonstrantur personae excogitatae sunt, nihil vero quoad jus ipsum definiunt; seu, si ita loqui licet: non ad jus, sed ad ordinem duntaxat succedendi pertinent. Itaque, *qui in eadem sunt familia*, modo ordo succedendi ad eos devolvatur, aequali agnatorum jure ad successionem omnes vocantur; — neque gentilium successionem in eadem familia, locus unquam esse potest.

*) in *Nerone* c. 1.

**) quod v. c. fecerunt GOTHOFREDUS ad LL. XII tab. (in OTTONIS thesauro Tomo III. p. 169) CHLADENIUS l. c. §. V. p. 9. aliique.

***) CICERO in orat. pro *Ligario* c. 5. SÜETON. in *Julio* c. 6. L. 17 D. de *testib.* (XXII. 5).

****) L. 195. §. 2 in f. de V. S.

§. VI.

Alia proponitur gentis ac gentilium notio.

Facilius nunc erit expeditu, quae jam innuimus, quibusve argumenta satis idonea ex historia superstruximus non nisi expromere veluti, atque iusto inter sese jungere ordine. Sed fert animus, rem paullo altius, breviter tamen repetere, ita, ut, proposita prius nostra de gentibus notione, unamquamque tunc rem, gentilitatem atque agnationem propius attingentem, leviter transeamus tantummodo, atque perstringamus.

Gens mihi est: *universitas hominum ejusdem nominis, vinculo quodam, vel agnationis vel clientelae inter se conjunctorum.* Qui in eadem sunt gente, gentiles quidem omnes appellantur *), neque tamen omnes iisdem gaudent juribus. Alia enim, qui regnum in gente tenent, atque soli juribus fruuntur gentilitiis, alia, qui illis quasi sunt addicti, utuntur conditione, *Priores gentiles vere tales seu sensu proprio commode audiunt, et sunt: qui inter se eodem sunt nomine et agnati, a majoribus ingenuis orti, quorum nemo servitutem justam unquam servivit, neque capite est deminutus **).* Sensu vero communi, vel improprio: omnes ejusdem nominis, qui vinculo agnationis et clientelae inter se sunt conjuncti, gentiles sunt; quapropter et omnes abjectionis in gente conditionis homines, tum illorum, quibus quasi ser-

*) Hoc enim sibi vult FESTUS de V. S. voce: *gentiles*: „gentiles, iniquiens, mihi sunt, qui meo nomine appellantur.“

**) CICERO *Topica* c. 6. Hinc inde servatum fortasse est novum loquendi genus, quod hodieque in Italia, Gallia, Hispania atque in aliis regionibus, homines nobiliores vocentur gentiles. ALEXANDER in not. ad *Caji Instit.* Lib. II. Tit. VIII. §. 6. (ap. SCHULTING p. 142) HUGO *Rechtsgefch.* 3te Aufl. §. 84. not. 4.

**) *Passive* hos, *active* illos, sensu quidem admodum congruo, minus tamen latine, vocari vult HUGO V. Cl. quem honoris causa hic appello, in *der Rechtsgefchichte* edit. II. §. 90. edit. III. §. 84.

viunt, cum illorum, cum quibus eodem utuntur jure, vocantur gentiles ***).

§. VII.

Num omnes gentiles sint agnati? differitur.

Minime, meo quidem iudicio, in hac dijudicanda quaestione laborabit, qui rite tantum, quae de gentilibus modo dicta sunt perpendat, atque animo secum reputet. Sed quia hic quoque discrepantes atque inter sese variantes conspiciamus scriptores, unum alterumve eorum, prius audiamus.

ALEANDER, dum ad *Caji Institutiones* *) commentatur, ita: „Qui agnati sunt, inquit, gentiles per saepe sunt, qui gentiles sunt non utique necesse est, ut agnati sint.“ Optime profecto! si modo cum grano salis, uti ajunt, haec intelligas verba, perplexa sane atque ambigua. Ipsum vero in malam partem ea accepisse *Aleandrum*, ex his, quae eorum explicandorum causa mox addit, satis superque apparet: „agnati, inquit, ut plurimum aliquo gradu sunt conjuncti, et ex una stirpe et familia descendunt. Gentiles, licet ex uno fonte manare videantur, tamen quia per plures aetates disjuncti sunt, ex pluribus familiis et stirpibus descendere dicuntur, et certe in plures familias distinguebantur“ etc. — Eadem *Caji* verba ita OISELIUS **) interpretatur: „Gentiles, inquit, ab agnatis sic differunt, ut agnati omnes quidem gentiles sint, non vero contra omnes gentiles agnati.“

Haec et similia ab aliis in medium prolata, ad falsam omnia redeunt conjecturam: omnes qui inter se essent gentiles, ab eodem communi stipite esse ortos; fuisse vero ejusdem familiae, qui vel unius essent cognominis, vel, uti alii volunt, agnatorum duntaxat illi, de quorum gradus proximitate constaret. —

*) Lib. II. Tit. VIII. §. 6. nota III.

**) ap. SCHULTING. p. 143. not. kkk).

Ita rem teneas ego velim: Erant in unaquaque gente diversae plane originis familiae, una, quae principem in gente tuebatur partem; reliquae, quae ab illius libertis atque novis civibus, qui quondam se illis applicassent, originem ducebant, necdum propriam condiderant gentem. — *Non nisi qui ejusdem sunt familiae, agnati sint necesse est.* Quapropter omnes ejusdem gentis familiae diversae, sibi invicem erant extraneae, quippe quae unius patris potestati nec fuerunt unquam subjecti, nec fuissent, cum diversis plane genitoribus natales deberent; — neque alio continebantur nexu, nisi quod omnes communi jure vocarentur gentiles. Non posse itaque non esse falsum: *gentiles esse agnatorum complexum ejusdem nominis*, hinc jam efficitur.

§. VIII.

Quaenam fuerit gentilitiae successio nis ratio? examinatur.

Antiquum illud jus patronatus, in solo, clientum eorumque progeniei, deficientibus agnatis, capessendi hereditates, subinde circumscriptum jure, successio nis gentilitiorum fontem fuisse ac originem, jam supra monuimus *). Poterat quidem quisquis civis Romanus, humillimus adeo e plebe, servos habere in potestate, atque manumittendo patronatus sibi acquirere jus, quod tamen ultra ipsos libertos non patuit **), ita ut stirps ab eis propagata, ab

*) Cum BYNKERSHOEKIO (observat. jur. Rom. Lib. II. c. I.) atque CHLADENIO (I. c. §. 20.) e *συνδεδωτοειν* sive condominio, necio quodam, fundamentum successio nis gentilitiae repetamus, necesse sane non est, quippe quae et inanis utique sit ratio.

***) De iis tantum hic agi libertis, qui optimo jure cives Romani facti sunt, observes velim. Dediticii enim nec suos habere heredes, nec stirpem legitimam propagare potuerunt, quippe qui „ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amitterent.“ §. 4. I. de succ. libertor. (III, 7.) GOTHOFREDUS in *probationib.* ad

omni singulari erga manumissoris demum obligatione soluta, in nexu tantum gentilitio perseveraret. Licet enim a manumisso nomen accepisset libertus, id ipsum tamen et ille gentis auctori acceptum referebat, cui soli, ejusque posteris ad quos haec deinde translata sunt jura, defunctorum bona, deficientibus agnatis, ex jure gentilitio debebantur. Quapropter gentilitiae successione ratio in eo posita erat: quod non nisi nobilior gentis familia, sive, qui sensu proprio vocantur gentiles, ex eo jure heredes esse possent. —

Jam vero obloquentium audio voces, legem XII tabularum omnibus omnino gentilibus deficientibus agnatis deferre hereditatem, lege vero non distinguente, nec nostrum esse distinguere, vociferantes. — Verum enimvero non temere adfingimus hic Decemviris distinctionem, quae illos ipsos fugit. Ex omnibus enim veterum monumentis quibus de gentilium successione agitur, in ipsa familia ceu agnatorum complexu, locum non fuisse hereditatis gentilitiis haud obscure intelligitur, cum disertis utique verbis gentiles ibi ab adgnatis separentur *). Quapropter sine ulla ratione, cum generaliter lex loquitur, inter proximiores ac remotiores agna-

*leg. XII tab. Tab. V. (in Ottonis thes. T. III. p. 101. nota *)* et in notis ad eandem tabulam p. 169. — Vid. omnino ULPIAN. *fragm. Tit. 27 et 29*, et ibi interpretes. — pr. §. I. et 3. I. *de succ. libertor.* ubi quae in libertorum successione mutarunt Praetor atque lex Papia-Poppaea simul invenies. De jure noviori vide *sis §. 4. et 5. l. eod. et t. t. seq.* — Pandectarum tituli XXXVII. 14. XXXVIII. 2. sqq. et t. t. *Cod. de bonis libertor. (VI. 4.)* cf. Cujacii observat. Lib. XXVI. c. 34. Observo tantum, in pejus postea mutatam esse libertorum conditionem, dum libera illis testamentifatio adempta est.

*) *L. XII tab. tabula quinta*: „*Si agnatus nec escit*, gentilis familiam nancitor.“ — CAJUS *Instit. lib. II. Tit. VIII. §. 6.* et in collatione leg. Mosaicar. et Romanar. *Tit. XVI. §. I.* „*Si nullus adgnatus sit*, eadem lex XII tabularum gentiles vocat.“ ULPIANUS *Tit. 26. §. I.* et in collat. *Tit. XVI. §. 4.* „*Si agnatus defuncti non sit*, eadem lex — gentiles ad hereditatem vocat.

tos distinguitur a nonnullis, quibus ipsis potius, qua supra abutebantur juris regula: lege non distinguente etc. hic erit rejicienda. — Nec desiderabant profecto agnati aliud mutuum successioneis jus, quam quod et remotissimo adeo illorum ex jure agnationis jam competeat. Supra jam ex instituto ea de re egimus, quare ad ea, quae in medium ibi protulimus L. B. nunc ablegare liceat; ejus tamen gratia qui adhuc dubitat, coronidis veluti loco Justiniani hic ipsissima apponamus verba, qui ita „ — Lex, inquit, duodecim tabularum — — simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes adgnatos, sive masculos sive foeminas *cujuscumque gradus* ad similitudinem suorum invicem ad hereditatem vocabat. — — Nos — vero legem duodecim tabularum sequentes et ejus vestigia in hac parte conservantes — — — nostra constitutione sanximus, *omnes legitimas personas*, id est, per virilem sexum descendentes, sive masculini generis sive foeminini sint, *simili modo ad jura successioneis legitimaie ab intestato vocari* *).“

Nisi itaque omni hanc disciplinam solido carere velimus fundamento, eos dumtaxat, *qui non jam in agnatorum ordine succederent, ad gentilitias hereditates vocasse legem*, dicamus necesse est. Cum autem, qui *communi jure* inter se erant gentiles, neque aequa omnes uterentur conditione, neque vicissim, qui inferiori loco erant, sibi imperarent aut servirent, dubium profecto esse non potest, quin hi soli vocati fuerint, qui priores in gente tuebantur partes; ergo, antiquissimis quidem temporibus non nisi patricii, quippe qui soli haberent gentem, postea vero et ex familiis plebejis, quae opibus forte et virtute prae ceteris eminent, atque propriam jam constituissent gentem. Jam vero exinde patet: nec omnibus omnino eo jure *succedi* potuisse, sed non nisi iis qui inferiores in gente partes sustinebant; et hoc, si quid video, innuere vult *Paullus*: „Intestatorum, inquit, hereditas, lege XII tabularum suis heredibus, deinde agnatis, et *aliquando* quoque

*) §. 3. I. de legit. adgn. succ.

gentilibus (sic pro „gentibus,“ recte cum *Pithoeo* reposuit *Schulting*) defertur *).“ Quae vero ita haud dubie intelligi voluit verba *ICTUS*: non utique, et deficientibus adeo agnatis, hereditatem deferri gentilibus, sed, quod jam ex ipsa re consequitur, tum demum, cum sint omnino, quibus hoc jus in extinctae familiae bona succedendi, ob antiquum nexum clientelarem competat. — Quare nec in principe gentis familia, quippe quae nulli alii subjecta erat domui, gentilium successioni unquam locus esse potuit.

Quantopere vero caverent nobiliores in gente, ne bona eorum, quibus jure gentilitio heredes exsistebant, dilapidarentur, sed facta tecta in ea gente conservarentur, ex *Senatusconsulto* quod exhibet *LIVIVS* **), quo *Fecenniae* cuidam *Hispalae*, libertae, gentis enuptio concedebatur, intelligi fortassis licebit. Exinde enim, iis certe temporibus, cum jus antiquum patronatus adhuc floreret, omnibus, quae inferiori in gente utebantur conditione foeminis, e gente enubere, i. e. alii nubere, quam qui in eadem cum illis esset gente, fuisse prohibitum, collegerim; quod, quamquam cum ipso jure clientelari subinde evanesceret, diu tamen in libertabus adhuc servatum esse videtur ***). In maribus tali non opus fuisse prohibitione, vel ex eo apparet, quod hi e gente haud egrediebantur, sed uxorum potius, quae in manum illis convenerant, bona, in suam transferebant gentem.

*) recept. sent. Lib. IV. tit. VIII. §. 3. et in *collat. LL. Mosaicar.* et *Rom. tit. XVI. §. 3.*

**) Lib. 39. c. 19.

***) Egregie haec ex quadam divini juris constitutione (*Numer. XXXVI. 8.*) explicari possunt, vid. *PERIZON.* in *Diss. de lege Voconia* (in *diss. triade* p. 110), *STRYK* *successio ab intestato*, *Diss. VIII. c. XI. §. 14.*

§. IX.

Num existentibus, licet hereditatem non aduentibus agnatis, gentilium ordo successerit? quaeritur.

*In legitimis haereditatibus non datur successio! Quae tamquam ex tripode dicta, quaerenti jam mihi resonant. Et digna profecto sunt, quae ab Apollinis proficiscantur oraculo; adeo enim sunt arguta, adeo ambiguam patiuntur interpretationem. — Jureconsulti, tantum non omnes, tum de graduum, cum de ordinum successione eam intelligi volunt *). Omnia vero, quae tam in veterum Jureconsultorum scriptis, quam in corpore legum Justiniano, nobis occurrunt exempla, quibus haec juris regula illustratur, non nisi de graduum successione, seu de iis tantum personis, quae in eodem ordine semel jam sunt exclusae per alium proximiorum, loquuntur **).* Quos quidem nulla ratione, ne in alio qui-

*) KOCH v. cl. *Bonorum possessio* p. 267. GLUECK *Intestaterbfolge* §. 56.

**) PAULI *recept. sent.* Lib. IV. tit. VIII. §. 25. „In hereditate legitima successioni locus non est. Et ideo fratre decedente, antequam adeat aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non potest: quia omnis successio proximiori defertur.“ — ULPIANUS lib. regular. Tit. XXVI. §. 5. „Quodsi nemo — adierit, ad insequentem gradum ex lege hereditas non transmittitur: quoniam in legitimis hereditatibus successio non est.“ CAJUS in coll. LL. Mosaicar. et Rom. Tit. XVI. §. 2. „Non tamen omnibus simul agnatis dat lex duodecim tabularum hereditatem; sed his, qui tunc, cum certum est, aliquem intestato decessisse, proximo gradu sunt. Nec in eo jure successio est. Ideoque si heres proximus omiserit, vel antequam hereditatem adierit decesserit, sequentibus nihil juris competit. [De agnatorum ordine, ad quem hereditas jam devoluta est, hic loquitur Cajus] §. 7. I. de legitima agnator. tutela: „Placebat autem, in eo genere percipiendarum hereditatum [in agnatorum ordine] successione non esse. — — Sed nos, nihil deesse perfectissimo juri cupientes, nostra constitutione — — sanximus successione in agnatorum here-

dem ordine ultra admissos esse, et ego nullus dubito *). Qua vero lege hoc jus, singulare sane atque incommodum, ultra ejus verba a Jureconsultis nostris producat? non equidem intelligo, cum et ipsae adeo leges, id esse restringendum potius exemplis satis aperte declarant. Et diserte Imperator: „Si nemo, inquit, suus heres — extat, *qui successione quoquo modo amplectatur*, tunc ex lege duodecim tabularum, ad agnatum proximum pertinet hereditas **). Haud fortuito, verba: „*qui successione quoquo modo amplectatur*,” excidisse Triboniano arbitror, neque nimis temere, argumento a contrario ducto, inde colligere mihi videor: admissum esse agnatorum ordinem, etiamsi sui extarent heredes, qui tamen non adirent hereditatem, cum et THEOPHILUS adeo ***), atque ACCURSIUS ****) auctores, haud sane aspernendi, hujus interpretationis mihi sunt.

ditatibus non esse eis denegandam.“ L. I, § 8. D. *de suis et legitimis heredib.* (XXXVIII. 16.) verb.: „*quamvis successio in suis heredibus non fit.*“ cf. quoque L. 2. pr. eod.

*) Fuere quidem, legibus benigniores Jureconfulti, qui agnatos, in agnatorum ordine exclusos, in gentilium successione, tamquam etiam gentiles, rursus admissos esse conjicerent. SCHULTING, ad collat. Leg. Mosaic. et Romanar. Tit. XVI, §. 2. not. 21. p. 794. SEGER de successorio edicto §. 4. Quam vero omnino inanem esse conjecturam, vel ex eo intelligitur, quod, uti modo probavimus, inter ipsos agnatos gentilium successioni neutiquam locus esset.

**) pr. I. *de legit. adgn. succ.*

***) ad pr. I. *de legit. adgn. succ.* in f. „Si quis decedat neminem suum heredem relinquens, — — aut cum personae hujusmodi extarent, hereditatem defuncti amplexae non sint: tunc lex duodecim tabularum secundo loco proximum agnatum ad hereditatem vocat.

****) ad §. I. I. *de legit. adgn. succ.* „dico, et amplectatur: nam haec duo necessaria sunt.“ — Neque durius mihi videtur, si eodem modo intelligantur duodecim tabularum verba: „Si agnatus nec escit;“ i. e. si agnatorum nemo heres existat.

Sit tamen, per me tantisper licet, ut ne in fuorum atque agnatorum ordinibus detur successio: numquam tamen mihi persuadebis, neque *gentilium ordinem* successisse, existentibus quidem, nec tamen aduentibus hereditatem, agnatis. Non enim, quae de hereditatibus, quae jure sanguinis ac agnatione deferuntur, praecipiant leges, ad successiones gentilicias, quippe quae longe alia ratione inniuntur, sunt detorquenda. Nec ideo praetor in successorio suo edicto, quo jus civile dilatavit, mentionem fecit successio- nis gentilium, quae tamen tum temporis nondum erat abolita. — Veri caeteroquin simillimum quoque est, patricios, quibus quippe solis legum XII tabularum ferendarum provincia demandata est, graduum successio- nem ideo prohibitam esse voluisse, quo saepius gentilium hereditates illis deferrentur, quod vero, nisi ordinis gentilitiae successio- nem simul admisissent, haudquaquam eorum commo- dis serviisset *).

§. X.

Cur unius gentis ac nominis, aliae patriciae aliae plebejæ fuerint familiae? disputatur.

Haud rara nobis occurrunt exempla in veterum monumentis consignata, patricias aequae ac plebejas familias in una eademque esse gente **). Neque mihi quidem, aliis tamen mira haec res visa est, quare et varie de ea disputari atque variae ad eam ex-

*) HUGO Rechtsge- schichte 2te Aufl. §. 90. not. *) in f. et §. 64. 3te Aufl. §. 60 in f.

***) v. c. in gente *Clandia* (AUGUSTIN. de gentib. et famil. Romanor. ap. GRAEV. T. VII. p. 1173 fqq. Fulv. URSINUS de gentib. et fam. Romanor. ibid. p. 1283), *Cornelia* (AUGUSTIN. l. c. p. 1181. URSIN. p. 1284.), *Lucretia* (URSIN. l. c. p. 1291.) *Antonia* (Rich. STREINNIUS de gentib. et famil. Romanor. ap. GRAEVIUM p. 1082. AUGUSTIN. p. 1156. URSIN. p. 1279.) atque in aliis, quas in scriptoribus modo allegatis, larga manu invenies delineatas.

plicandam proferri solebant causae *), quas recensere, paulloque curatius trutinari, operae forsitan pretium erit.

Prima est: quod non ab eodem ambo fonte fluerent. Constat enim, inquit, duo v. c. fuisse gentes Tullias, quarum a Servio Tullio rege altera, altera vero a Tullo quodam Attio originem traheret. — Verum enim vero mirum quantum hae a re alienae sint nugae! Non enim hic quaeritur, quomodo acciderit, ut duo gentes *diversae* eodem uterentur nomine gentilitio? sed in eo potissimum vertitur quaestio: cur in *eadem* gente nonnumquam patriciae aliae, aliae vero plebejæ fuerint familiae? Quod tamen *ex diversa gentium origine* minime explicari potest.

Alteram reddunt causam: quod patriciae gentes ad plebem nonnumquam, et e diverso, plebejæ ad patres se conferrent **),

*) SIGONIUS de nominibus Romanorum c. VI. (ap. GRAEVIUM T. II. p. 1986.) IDEM *Antiq. Rom.* Lib. I. c. VII. p. m. 88. PANVINIUS *de nominib. Romanor.* (ap. GRAEV. T. II. p. 2018. de SELCHOW *antig. jur. Rom.* §. 110, quocum conferas sis: *Unpartheische Kritik über jurist. Schriften* Bd. VI. p. 307. sqq. NIEUPOORT *rituum Romanor. succincta explicatio.* Sect. VI. cap. V. §. 1. p. m. 397 sqq. CHLADENIUS l. c. §. 35.

**) Quod ad illustrandum, a SIGONIO aliisque *Ciceronis* verba (e *Bruto* c. 16.) apponuntur, quae ita apud illos sonant: „Transitiones a plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus, ut si ego me a *M. Tullio* dicerem qui patricius cum Servio Sulpicio consule fuit.“ Quare tam insigniter hanc orationem deprauaverit *Sigonius*? cum non magis ita truncata quam genuina *Ciceronis*, huc quid faciant verba, me non assequi libere fateor. — „Multa enim, (ita *Tullius* inquit), scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumpho, plures consulatus, genera etiam falsa, et ad plebem transitiones, cum homines humiliores, in alienum ejusdem gentis infunderentur genus.“ Quae tamen dumtaxat, ut suspectas reddat demortuorum laudationes, quibus quippe rerum Romanarum historia mendosior facta sit, profert *Cicero*. Haec agens, inter alia et, saepius ab hominibus humilioribus natus, cum aliis, cum quibus forte uno

siquidem gens Octavia patricia, primum quidem ad plebem se converteret, procedente vero tempore ad patres per divum *Julium* rursus rediret *). — Toto vero coelo, haec quoque causa distat a scopo. Si enim familiam plebejam in patres recipi contingeret, quamquam nomen quo antea gaudebat retineret, *in eadem tamen gente in qua ante fuit, haud remanebat*; sin vero patricii ad plebem se converterent, (quod posterioribus certe reipublicae temporibus, cum jam non modo eodem omnino plebeji uterentur jure publico cum patriciis, sed et gentem adeo haberent, ad plebe-

nomine gentilitio uterentur, ejusdem esse originis, ejusdem familiae, nec non nisi per transitionem ad plebem memoriam hujus rei esse oblioratam, commentum iri, ait.

- *) SVETONIUS in *Octavio* cap. 2. init: „Ea gens, inquit, a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, in Senatum mox a Servio Tullio, in patricias, transducta, procedente tempore, ad plebem se contulit, ac rursus, magno intervallo, per D. Julium, in patriciatum rediit.“ Eum quem forte offendit haec lectio, quae hic annotavit B. ERNESTI legisse haud forsan poenitebit. Alia mihi quidem adhuc placent, quae tamen, a profano literarum elegantiarum profecta, bona cum venia excipias velim. — Vel enim minus proprie de receptione inter gentes Romanas locutum esse *Suetonium* et de simplici civitate haec intelligi voluisse verba, — vel, quod magis placet, το „*patricias*“ per verborum trajectionem referendum esse ad το „*gentes*“, dixerim. Necessè quidem non fuisset, addere: „*patricias*“ cum Tarquinii certe Prisci aevo non nisi patricii haberent gentem; sed vel ipsum *Suetonium*, quo melius ab aequalibus intelligatur hanc addidisse vocem, vel, quod propius a veritate abesse videtur, a librario quodam margini adscriptam in contextum irrepsisse, veri est simillimum. — Hoc vero posito, quia mirum in modum verborum tenor turbatus invenitur, ita reponendum esse existimaverim: „Ea gens inter Romanas gentes (*patricias*) allecta, in Senatum mox a Servio Tullio transducta etc.“ Neque durior haec emendatio est, cum non nisi unica hic demta particula, quae aperte tamen spuria est, reliqua recte omnia se habeant; non enim ex allectione inter patricios, in senatum jam quoque sequitur receptio.

jorum singularia privilegia atque munera participanda, saepius factum esse haud equidem negaverim), — vel tota transit gens — quo tamen facto nihil fere nisi nuda dignitas patricia mutata est, sed plebeja nunc erat gens, plebejae omnes in ea erant familiae; — vel una duntaxat ex gente familia; quo vero casu haec, quod fieri solebat, vel propriam efficiebat gentem, vel, quod numquam esse factum certe mihi persuasum habeo, sese applicabat genti, aut extraneae aut illi e qua egrediebatur. Posterior quidem casus propius rei adcedit; quis vero adeo erit excors, quin, reliquos ad quaestionem nostram certe nihil facere posse videat?

Tertiam ab adoptione repetunt causam. Quodsi enim, inquirunt, patricius a plebejo, vel contra plebejus a patricio adoptaretur, conditionem cum adoptantis sequi necesse erat, cum adoptio capitis deminutionis minimae effectum sortiretur, adeoque jura agnationis ac gentilitatis auferret. — Quanta, quaeso, confusio, quanta rerum plane diversarum perturbatio! Mihi quidem primum haec legenti, tam insigniter a vera via aberrasse *Sigonium*, mirum visum est, indignabundus vero, in hac quoque re *Jureconsultos* assensionis temeritate abreptos, *antiquarii* secutos esse fidem, animadverti, ut adeo, quem nonnulli jam observaverant et in melius mutaverant errorem retinere, quam meliora accipere mallent. — Jam enim *Richardus STREINNIUS* *): „neque tamen ignoro, inquit, etiam adoptionem causam hujusce rei numerari, *haud scio an recte*. Neque enim M. Brutus plebejus, a Q. Caepione patricio adoptatus, neque item P. Scipio patricius a Q. Metello plebejo adoptatus, patriciam Brutorum, aut Scipionum plebejam familiam constituunt. *Solus enim is qui adoptatur adoptantis conditionem sequitur, non autem gens universa aut familia aliqua*“ — Unum tantum, qui *Streinnii* vestigia pressit inveni, *NIEUPOORTIUM* **),

*) *de gentib. et famil. Romanor.* (ap. GRAEV. Tom. VII. p. 1124).

**) *in rit. Rom. succ. explic.* Sect. I. c. IV. §. 2. p. 33. 34. Sect. VI. c. V. §. I. p. 398.

qui ita „quodsi patricius, inquit, a plebejo, aut plebejus a patricio adoptaretur, ille quidem in ordinem adoptantis transibat, *verum hoc personam ejus non excedebat.*“ Facili tamen negotio eum refutari posse opinatur SELCHOVIUS *), sic contra *Nieupoort.* verba faciens: „Errat autem N. (?) cum putat, dignitatem hanc sive ordinem adoptione quaesitum personam adoptati non excessisse. Sin enim hoc est, quomodo familia plebeja potest existere in gente patricia aut contra.“ (!) — Quis, quaeso, fando unquam audivit, non solum adoptatum, sed et, qui in ejus sunt familia, fratrem v. c. conditionem patris adoptivi esse secutos? — Accuratius infra excutietur quaestio: num in gentem adoptantis transferit adoptatus nec ne? Sive autem negaveris id, sive affirmaveris aequae res se habebit. Priore enim casu haud mutat gentem, posteriore vero e gente in qua antea fuit profus egreditur, quare nec unquam haec causa fuit, nec esse potuit, cur in eadem gente diversae conditionis inveniantur familiae? Et finge adeo, universam familiam per adoptionem in alienam transire gentem, desinit ea hinc inde pristina sua conditione uti, atque ejus in quam transit, gentis erit pars. — Quod nec *Streinius* nec *Nieupoort* observarunt, qui et ipsi acu tantum tetigisse, neque satis perpexisse rem videntur, quippe qui omnem argumentandi rationem in eo collocarent: quod solus is qui adoptatur, neque vero omnes ex ejus familia conditionem sequantur adoptantis.

Piget tamen in re tam manifesta laborare, atque nugis diutius immorari, quas esse deridendas potius quam rite rejiciendas, quis jam non intelligit?

Quartam, quod qui patricii alicujus beneficio civitatem impetrassent, ejus tantum adipiscerentur nomen, in plebe vero remanerent; et *quintam* denique, quod qui a patricio manumitterentur, ejus quidem subirent nomen, ipsi tamen cum sua stirpe plebeji essent ordinis, reddunt causas. — Egregie profecto, quod de Jurecon-

***) *antiq. jur. Rom.* cui adstipulatur quoque GESNERUS in annotationib. ad *Nieupoort.*

sultis Cicero *) ait, „saepe, quod positum est in una cognitione, id in infinita eos dispartiri,“ huic rei convenit. —

Licet vero hae, quas ultimo loco attulerunt causae, propius accedant ad rem, quin tamen plane neglexerint viri doctissimi veram ejus de qua proprie hic agitur rei rationem, nullus equidem dubito. In qua quidem indaganda, quia plus singula vice eam jam inuimus, minime nobis erit laborandum, quippe qui, quod mirum nostratibus videtur, fuisse patricias aequae ac plebejas in eadem gente familias, id aliter non fieri potuisse adeo persuasum nobis habemus. Longa jam explicatione, qua et, iisdem fere repetendo, lectores benevolos fatigarem, et quorum jam nimis fortasse abusus sum, ultra abuterer indulgentia, superfedere hic possum; quapropter pauca tantummodo, quae huc faciunt, delibasse sufficiat. — Antiquissimis urbis temporibus, cum apud solos patricios esset gens, omnes omnino in urbe plebeji, patricii erant addicti gentibus, quorum et itaque utebantur nomine; melior postea quidem invaluit plebejorum conditio, cum ex his nonnulli propriam constituerent gentem, neque tamen nobiliorum has familiarum, quae uterentur occasione, patriciorum exuendi imperium, haec libertas suo prorsus arbitrio, suave conditione uti, excessit. Non enim omnibus, aequae licet illustribus ac splendidis familiis plebejis, nexu illo se solvere contigit; certe proletarii quos vocant homines, jure gentis propriae numquam gaudebant. Quapropter et labente jam libera republica, novoque ingruente imperio, in unaquaque gente patricia stirpes plebejae, eademque nec omnino obscurae ac ignobiles, deprehendantur adhuc necesse est.

§. XI.

Quaestio celeberrima, inter Claudios olim Marcellosque in controversiam vocata explicatur.

Neminem puto, juris civilis historia leviter tantum imbutum, celeberrima illa fugiet inter Marcellos atque Claudios ante judicium

*) de legib. c. 19.

centumvirale *) agitata lis, de qua CICERO **), dum id agit, ut juris civilis scientiam esse quam necessariam oratori probet, eamque ob rem leviter tantummodo transit atque attingit causas nonnullas dubias, ita: „Quid? inquit, qua de re inter Marcellos, et Claudios centumviri judicaverunt, cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem nominis, hereditatem gente ad se rediisse dicerent.“ Sunt qui ad haec verba, quasi per se ipsa sint perspicua, neque ulla indigeant interpretatione, provocent. Sunt tamen alii, quos hujus loci difficultas minime fugerit, et qui varie eum interpretari conarentur. Unius ex multis, PITHOEI ***) hic apponere verba sufficiat, qui: „est et, inquit, exemplum centumviralis iudicii, non tam fortasse sensu notum, quam fama celebre quod a M. Tullio refertur;“ (infelici vero successu ipse explicat, vel potius implicat rem, dum ita pergit), „in quo illud quaesitum arbitror: An in successione liberti ab ingenuo gentilitio adoptati jus gentilitatis locum haberet, adeo ut gentiles ejus familiae in quam adoptatus erat libertus, ejus cognatis praerentur ex XII tabulis. Qua in quaestione potior fuisse videtur Marcellorum causa.“ — Unde id hauserit *Pithoeus*? haud profecto assequi possum; vana tamen eum jactasse, sua jam sponte apparet, quare et copiosius iis arguendis insistere, jam supersedere, meaque proponere poterō.

Duo fuisse Claudiorum gentes vulgo ajunt, patriciam alteram, alteram plebejam ****). Quod ad probandum ad SUETO-

*) Cui quippe et de rebus hereditariis iudicandi, data est provincia. T. S. SICCAMA *de iudicio centumvirali* Lib. II, c. 5. (ap. GRAEV. T. II. p. 1855.)

**) de *oratore* Lib. I, c. 39.

***) in not. ad §. 3, Tit. XVI. coll. leg. Mos. et Rom. nota 2. (ap. SCHULTING p. 794.)

****) R. STREINNIUS *de gentib. et famil. Romanor.* (ap. GRAEV. T. VII. p. 1124.)

NIUM *) provocant, qui „patricia, inquit, gens Claudia (fuit enim et alia plebeja, nec potentia minor nec dignitate) orta est ex Regillis“ etc. — Quamquam vero, *Suetonii* quidem temporibus propriam jam gentem habuisse Marcellos plebejos, haud equidem dubitaverim, id certe tamen persuasum mihi habeo, reipublicae temporibus in gente eos adhuc fuisse Claudia patricia. Et licet forsitan, Marcellorum familiam opibus atque potentia aeque validam, sua jam uti conditione paterentur patricii, gente tamen propria hucusque carebant **). Sin secus fuisset, et in eadem se cum Claudiis plane non esse gente probassent Marcelli, nulla ea de re orta unquam esset quaestio, aut, si nihilominus litem Claudii patricii movissent, in ipso profecto litis ingressu, actio eorum a centumviris rejecta esset. Certe aliis Marcelli usi essent rationibus, quibus Claudiiorum petitiones eliderent: ob solam enim nominis similitudinem, in aliena gente sibi haud vindicare posse hereditates, patricios, quin, quod ipsi in liberti filii bona jure gentilitio existerent heredes, dixissent necesse est.

En facti speciem! E Marcellorum familia servum quis manumiserat, qui, relicto filio, mortuus est. Quo et ipso defuncto, stirpe non propagata, inter Claudios patricios atque Marcellos plebejos de hereditate ejus lis oritur. Marcelli stirpe ad se rediisse hereditatem contendebant, i. e. non denegabant quidem Claudiis ex jure gentilitio succedendi jus, sed prius ad familiam vel *stirpem* patroni, hac vero deficiente demum, ad gentiles filii liberti hereditatem redire dicebant. Patricii contra: jus hereditarium patronis eorumque liberis competens, non ultra ipsum libertum absque suis heredibus defunctum, esse producendum. Cum enim filium reli-

*) in *Tiber.* c. I.

**) Quod jam innuere videtur STREIN. (l. c.) „licet autem, inquit, conditio harum gentium diversa sit, originem certe utriusque gentis eandem prorsus esse opinor.“

quisset, et ita propriam jam stirpem propagare coepisset libertus, tunc ne patrono quidem ipsi, multo vero minus ejus familiae, sed gentilibus potius, hujusmodi deferri hereditates.

Licet autem jam inter veteres Jureconsultos ea de re disceptatio fuerit *), omnino tamen pro Claudiis pronuntiandum esse arbitror, cum a libertino post manumissionem natus statim ut natus est sit ingenuus, et ideo non magis ac caeteri ingenui patronatus juribus subjectus esse potest, sed eadem cum manumisso, cui nec ipsi jura gentilitia sunt, uti incipit conditione. — Haud vero errare mihi videor, si ex illo Marcellorum conatu, libertinae stirpis hereditatem sibi habendi, omni jamjam opera atque cura eos esse annisos, illis quibus patriciae genti essent obligati, vinculis, quae tamen vixdum ipsis essent molestia, se suamque domum solvendi, atque propriam subinde constituendi gentem, colligam.

Longe vero aliter fortasse judicarem, si diversa ac eam hic refleximus incidisset species. Quid enim, si filius de quo hic quaeritur, jam in servitute susceptus simul cum patre fuerit manumissus? Tunc enim, quo magis Marcellorum, non omnium quidem, sed eorum qui stirpe, i. e. *jure suorum heredum patris* **) manumissoris, hereditatem ad se rediisse dicerent, tuerer causam, nullus profecto dubitarem, cum ejusmodi liberti non alio ac ipse pater uterentur jure, nec non suis patroni heredibus libertorum successiones deferrentur.

*) vid. enim coll. Leg. Mos. et Rom. Tit. XVI. §. 8. ubi ad libertinae stirpis bonorum possessionem patronum vocasse videtur *Ulpianus* cf. et *Pitb.* in not. ad h. l.

**) Sub stirpe enim et eorum, qui sub unius patria potestate tempore quo is moreretur fuerunt, intelligitur complexus. Sic et in *Mosaicar. et Romanar. leg. collat.* Tit. XVI. §. 8. haud dubie „libertina stirps,“ suos heredes liberti significat. Unde et loquendi formula, quae successio in stirpes audit, natales duxit.

§. XII.

Num in gentem aequè ac in familiam patris adoptivi transferit adoptatus? quaeritur; simul de capitis deminutionis minimae vi ac indole quaedam adjiciuntur.

Adoptatum aequè ac arrogatum, jure certe ante-Justiniano, in familiam patris adoptivi transiisse, et iis quibus antea esset agnatus, plane extraneum factum esse, dubio omni caret *). Num vero gentem quoque mutaverit adoptatus? quaeri hic a nonnullis solet. Haud equidem video, quomodo unquam hac de re dubitari potuerit; omnino enim adoptatus patris adoptivi conditionem, ergo et gentem atque nomen sequebatur **). — Non adeo tamen facile

*) L. 2. §. 3. D. de suis et legitimis heredib. (XXXVIII. 16.) l. 23. D. de adoptionib. et emancipationib. (l. 7.) STREINNIUS in praefat. ad Diss. de gentib. et famil. Romanor. (GRAEV. thes. T. VII. p. 1075.) CUIACIUS *observation.* Lib. VII. cap. I. NOODT in comment. ad Dig. tit. de adoptionibus p. 24. a. (in operib. Col. 1732. f. Tom. II.) HEINECCIUS *antiq. jur. Rom.* Lib. I. Tit. XI. §. II. CHLADEN. l. c. §. 4. GLUECK *Erläuterung d. Pand. nach Heilsfeld* T. II. §. 151. p. 362 (edit. 2da). IDEM *Intestaterbfolge* § 59. WALDECK *Instit. jur. civil.* §. 132.

***) Aliter in libertinis res se habebat, si A. GELLIO fidem faciamus, qui (*noct. att.* Lib. V. c. 19.) ita „Libertinos vero, inquit, ab ingenuis adoptari quidem jure posse Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse unquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum invadant.“ Cui tamen minime consentaneum est, quod ait MARCELLUS in l. 32. D. de Ritu nuptiar. (XXIII. 2.), libertinum, qui se ingenuo adrogandus daret, omnia in hujus familia consecutum esse jura. Cfr. omnino HEINECCIUS in *comment. ad leg. Jul. et Pap. Popp.* Lib. II. c. I. §. 9. p. 126. — Obiter moneo, vetus suum nomen, et post adoptionem, quo originem indicaret, paullulum tamen inflexum, retinuisse adoptatum, uti e Scipione *Aemiliano* intelligitur. Vid. GRAEVIUS in praefat. tomo secundo thesauri antiq. Rom. praemissa.

est, satisfacere quaerenti: num jura quoque gentilitia eminentiora, seu jus gentilium hereditates capeffendi, qui ab eo, cui haec erant jura, adoptaretur, adeptus sit? Dubitatio inde oritur: quod de adoptatis: statum illos mutare, diserte traditur *): qui vero statum mutant capite minuuntur **). Telle tamen CICERONE ***) , gentiles non nisi esse possunt, qui capite numquam sunt deminuti.

De adoptatis in specie sic dictis, quod capite minuuntur, manifestum quidem est, quia et in iis, mancipationes illae ac manumissiones, ob quas PAULUS ****) emancipatos in servilem imaginariam causam deduci ait, observari solenne erat †). Num vero, quia *adrogatus* in istam servilem causam non deducebatur, capite eum minutum non esse dicamus? vel *Paulum* nostrum, quasi rationem inanem maxime, quaeve nihil ad rem faceret, adtulerit, culpemus adeo atque derideamus ††)? — Neutrum nos quidem faciamus. Nam et arrogatum capite minui, ipsis comprobatur legibus, quae perspicuiore sunt, quam quae calumniatorum captationibus in alium detorqueri queant sensum. — *Paulus* vero, primariam minime in eo ponit causam, cur capite minutus sit emancipatus, quod in servilem deduceretur causam; ita „ut mens ejus non sit, sine servili causa nemini accidere capitis deminutionem; sed, si quis in servilem causam deducatur, tum ipsum adeo mani-

*) L. II. §. 2. de *bonor. poss. sec. tab.* (XXXVII. II.)

**) §. 3 I. de *cap. deminut.* (I. 16.) L. I. D. de *cap. min.* (IV. 5.)
vid. ad h. I. Guil. FORNERIUS *Select. Lib. I. c. 26.* (in Otto thes. T. II. p. 38.)

***) *Topica c. 6.*

****) L. 3. de *cap. min.*

†) L. ult. Cod. de *adoptionib.* (VIII. 48.)

††) Quod fecit VINNIUS in *comment. ad Instit.* Lib. I. Tit. 16. §. 3. nr. 3. cfr. tamen HEINECC. in *not. ad Vinn.* HUBER *Digress. Instit. lib. III. c. 6.* EJUSDEM *praelect. in Instit. tit. de cap. min.* nr. 4. et ibi THOMASII *scholion* (p. m. 51.)

festum caput minui, ut nullum ea de re dubium moveri possit *).
 Jam enim vel sola familiae mutatione capitis deminutionem contingere, et ipse paulo ante diserte adfirmat, cum: „liberos, inquit, qui *adrogatum parentem sequuntur, placet minui caput, cum in aliena potestate sint, et cum familiam mutaverint **)*

Placet itaque nonnullis, neque omnia in adoptatum transisse jura, neque omnia cum amisisse; adeoque nobilitatem patriciam nec adoptione fuisse peremtam nec adquisitam ***). Quod e lege 6. §. 2. *de senatorib.* (l. 9.) colligunt; in qua PAULUS „a Senatore, inquit, in adoptionem filius datus, ei qui inferioris dignitatis est, *quasi Senatoris filius videtur: quia non amittitur Senatoris dignitas, non magis quam ut consularis desinat esse.*“ Quam vero legem belle, ut fere solet, HEINECCIUS ****) ita interpretatur: „Alia erat ordinis ac dignitatis praerogativa, etiam in adoptionem datis salva, aliud jus gentis ac originis, quod uti exspirabat ubi patricius a plebejo adoptabatur, ita et in plebejos transibat adoptatos a patriciis.“ — Existimat quidem SIGONIUS †), „nec qui adoptione, nec qui manumissione in alienam gentem

*) Sunt verba Gerl. SCHELTINGAE in Diss. II. *de emancipationibus* §. 3. cf. et § 2. (in Dan. FELLEBERG *jurisprudencia antiqua* T. II. p. 519. 520.)

***) pr. D. *de cap. min.*

****) Barnab. BRISSON. *de jure connubiorum* p. m. 9. Herw. CANNIETTER *observat. jur. Rom.* Lib II. c. 18.

*****) *in comment. ad Leg. Juliam et Pap. Popp.* (Amstelod. 1731. 4.) Lib. II. c. I. p. 113. in f. vide et Jac. PERIZONIUM in *diss. de constitutione divina super ducenda defuncti fratris uxore.* (in *diss. triade* p. 81 sqq.) CHLADENIUS l. c. §. 35. Egregie vero hanc tuetur sententiam §. 5. I. *de cap. dem.* „Quibus autem dignitas magis quam status permutatur, capite non minuuntur: et ideo senatu mutum capite non minui constat.“ L. 3. *D. de senatoribus.* cfr. VINNIUS ad cit. *Inst.* §.

†) *de nominib. Romanor.* c. 6. (ap. GRAEV. T. II. p. 1986.)

migrarent, gentiles cum iis fuisse ex Scaevolae definitione, vel a quibus vel ad quos transfrent: illi, quod capite deminuti essent, hi, quod servitutem servissent.“ Verum enimvero licet et mihi Scaevolae, quam in Topicis Cicero exhibuit, probetur definitio: talia tamen ex ea haud collegerim equidem. Leniter enim, si quid video, omnia fluent, dummodo ejus quod interest inter statum publicum atque privatum (seu statum hominis, uti eum appellat *Justinianus*), probe habeatur ratio *). Ad quod respiciens discrimen, de capitis deminutione *quae salvo statu contingit* *ULPIANUS* **) loquitur. Non nisi enim magna capitis deminutione, qua libertas amittitur vel civitas, in pejus; ea vero quae salvo statu contingit, in melius mutatur status. Quapropter et *PAULUS* ***) „per adoptionem non minui, sed augeri dignitatem,“ ait; et optime *Paul. MANUTIUS* ****): „minima (sc. capitis deminutio), inquit, cum familia mutaretur, beneficium magis quam poena fuit.“

Gravissimos quidem operabatur effectus capitis deminutio minima, ut adeo, qui eam pateretur, quoad privata sua jura, longe jam alius evaderet homo; ita, ut obligationes v. c. et actiones, quae ei et in eum competere, certe ex juris stricti †) ratione exstinguerentur penitus, nec non testamentum ante capitis deminutionem factum, exinde vitaretur ††), et quae sunt alia ejusmodi †††).

*) NOODT ad tit. Dig. de cap. min. init. p. m. 98. vid. omnino FEUERBACH über den Röm. Begriff von Status; in ejus civilist. Versuchen Bd. I. Nr. VI.

**) L. I. §. 8. ad Scr. Tertyll. et Orphit. (XXXVII. 17).

***) L. 35 de adoptionibus.

****) de legibus (in GRAEVII thesauro antiq. Rom. T. II. p. 1086).

†) cui tamen medelam postea afferre conatus est Praetor, qui actiones extinctas restituit. G. SCHELTINGA de emancipationibus Diss. II. §. 4—8.

††) VINNIUS ad §. I. Inst. quib. non est permixtum facere testament. Nr. 3.

†††) SCHELTINGA l. c. §. 2—12. Ant. FABER rationalia ad Dig. ad L. 2. §. 3. de capite minuzis. Noodt comment. ad Dig. tit. de cap. min. (In operib. omnib. T. II p. 99. in f.)

Tantum vero abest, ut capite deminutorum conditio deterior inde reddita sit, ut potius nonnumquam ea sit aucta atque in melius mutata. Licet enim seriam liberorum venditionem esse fontem, unde ritus illi in emancipatione aeque ac in adoptione usitati, nec non capitis deminutionis minimae nomen emanarent, haud equidem negaverim; attamen, cum serie adhiberi subinde desinerent hae venditiones, atque in ritus jam abiissent inanes, et, quae primitus inde haud dubie redundabat capitis deminutio vera, evanescebat, iis tantummodo servatis, quae jam solam familiae mutationem sequebantur, effectibus *). — Nec ulla itaque laborabat macula notaque qui capitis deminutionem minimam passus est, qui adeo, etiamsi majores justam serviverant servitutem, omnia jura gentilicia nanciscatur. — Liberti fingamus filium, vel nepotem vel deinceps ab eo ortum, de quo, fuisse majores in servitute, recenti adhuc memoria constabat **), a patricio esse adoptatum: nullus sane dubito, quin et is patricius atque gentilis sensu strictiori fieret. Majorum enim non ultra ei inhaerebant vitia, cum aliud indueret caput, et, jurium ratione privatorum, non jam idem videretur esse homo.

Quid vero? numne e regione sibi repugnare, numne absurdum adeo esse videntur, quod adrogatus capitis deminutionem pati dicatur, quia caput antea liberum alienae nunc subicitur potestati; capite vero minui emancipatum atque adoptatum, quia omnia in ea e qua egrediuntur familia, amittunt jura; cum tamen libertatem nanciscatur emancipatus, caput itaque acquirere potius quam

*) Quaevis familiae mutatio, quomodocunque contingeret, hos operabatur effectus, quorum causa imaginaria illa non erat servitus; id quod ex adrogatione intelligi potest, de qua quippe, nullis venditionis atque manumissionis adhibitis ritibus, fuisse celebratam, constat.

***) Erga omnes quidem omnino plebejos erat praesumptio: justam olim serviisse majores servitutem, cujus tamen cum jam esset abolita memoria, non amplius ratio habebatur.

amittere videatur, caeteri vero, quibus carent in familia patris, in aliena recuperant jura? — Optime, primo licet obtutu repugnantia, sibi congruere intelliges, modo rite consideres: solam familiae mutationem in capitis deminutione respici *), quam tamen in emancipatione, aequae ac in adrogatione et adoptione contingere, manifestum est. Quamobrem morte patris, sui quidem juris fit filius-familias, qui vero nec capite minuitur, quippe qui familiam plane non mutat, et, quibus antea erat, adhuc est agnatus **).

§. XIII.

Quid de uxore, quae in manum convenit, statuendum sit? excutitur.

Haec omnia fere et de uxore quae in manum convenit dici possunt; quae quippe in manum conveniendo, et capite minueretur, et in mariti familiam ita transiret, ut illi sua heres, liberis vero primi gradus consanguinea fieret ***). Quare nec dubitandum est, eam et

*) Quod de virginibus Vestalibus, eas simul atque a pontifice maximo caperentur e patria exiisse potestate, atamen capite non esse minutas, traditur: privilegium est specialiter illis indultum, nec ad exemplum trahendum. Cfr. SCHELTINGA in Diss. I. de emancipationibus prolegom. §. 15.

***) Unde e medio quoque rite tolli potest difficultas, quam hic movet, et ipse ita explicare conatur glossator: „Sed videtur, inquit, haec definitio non convenire cum suo definito, nam morte patris filius mutat statum, quia fit sui juris, non tamen dicitur capite minui. Sed dic, subaudiri hic facto hominis interveniente, ut emancipatione vel deportatione patris, vel simili modo, vel etiam quasi facto, quod dico propter filios arrogati, qui una cum patre mutant statum. At moriente patre non intervenit factum hominis imo magis Dei. Quid! si interficiatur pater? Respondeo idem, quia mors super Dei dispositione advenit.“ — Praeclara profecto philosophia, eoque tempore iisque philosophis dignissima!

****) CICERO in Top. c. 4. GELLIUS in noct. att. Lib. XVIII. c. 6. CAJI Instit. Lib. II. Tit. VIII. pr. ULPIANUS Tit. XXII. §. 14.

in gentem mariti transiisse, et, dummodo huic omnia essent jura gentilitia, horum etiam factam esse participem. Num vero mulieres in maritorum, quorum in manum convenirent, nomen quoque transirent? sub iudice adhuc lis est. Copiose in utramque partem hac de re disputarunt docti homines, qui et innumeras fere antiquorum inscriptiones, quibus quisque suam probare studeret sententiam, compilarunt. Si tamen quod res est dicendum, omnia quae in contrariam partem allegantur exempla, de iis commode intelligi possunt mulieribus, quae viro quidem innupsissent, eidem tamen in manum non convenissent *). Plura, si his forte delecteris, apud scriptores infra allegatos **) invenies.

Unum tamen est, quod, quia hucusque paene neglectum vidi, hic omittere nequeo, quamquam nonnullis, nec immerito fortasse, a re hinc paululum aberrasse videri possum. A temporum scilicet injuria fortuna vindicavit, nobisque servavit, veteris cujusdam Jureconfulti verba ***), memoratu sane atque explicatu dignissima, quae ita

JD. Tit. XXIX. §. I. *Mosaicar. et Romanar. leg. collat.* Tit. IV. §. 7. Tit. XVI. §. 2. et §. 6. verb.: „Sororis autem loco est“ etc. et ibi interpp. in SCHULTINGII *Jurisprudencia ante Justinianea*. Ant. AUGUSTIN. *de legibus* ad II. XII tab., nr. XVIII. (in GRAEVII thes. T. II. p. 1292. sq.) HEINECCII *antiquitates jur. rom.* Lib. I. Tit. IO. §. 6. GLUECK *Intestaterbfolge* §. 48. p. 131. §. 53. p. 139. Nonnullos quidem et hac de re adhuc dubitantes inveni (Chr. THOMASII *de usu pratico Tit. Inst. de nuptiis* §. I. c. 6. sq.) adeo tamen perspicua est, adeoque firmis innititur rationibus nostra sententia, ut pigeat profecto diutius refellendae illorum opinioni insistere.

*) Cfr. tamen HUGO *Rechtsgesch.* 3 Aufl. §. 54. not. 2.

**) Onuphr. PANVINIUS *de nominib. Romanor.* (ap. GRAEV. T. II. p. 2047.) Joseph. CASTALIO *adversus foeminarum praenominum adfertores disputatio* (ap. GRAEV. T. II. p. 2050. sq.) GRAEVIVS in praefatione tomo secundo thesauri antiq. Rom. praemissa. Jac. PERIZONIUS D. *de constitut. div. super succenda def. frat. uxore* (in Dissertat. triade p. 18 sq.

***) CAJUS *Instit.* Lib. II. Tit. VIII. pr. JD. in coll. leg. Mos. et Rom. Tit. XVI. §. 2.

sonant: „uxor quoque quae in manu ejus est, ei sua heres est, quia filiae loco est: item nurus, quae in filii manu est; nam et haec nepotis loco est. *Sed ita demum erit sua heres, si filius, cujus in manu erit, dum pater moritur, in potestate ejus non sit.* Idemque dicimus et de ea, quae in nepotis manu matrimonii causa sit, quia proneptis loco est.“ Haud aegre profecto, historiae non plane ignarus, verum hujus orationis sensum intelliget, atque vim; in eum tamen qui haesitat adhuc et dubitat, neque assequi potest veram ejus significationem, egregia illa GELLII *) vox „obscuritates, inquentis, non assignemus culpae scribentium, sed inscientiae non assequentium,“ probe conferrenda est. — Exemplum ineptae sane interpretationis, e *Vertranio Mauro* nobis exhibet SCHELTINGA **) quam tamen jam omittamus, et ALEANDRUM ***) potius audiamus, qui unus, quantum scio, recte hunc locum intellexit, et ita accurate atque eleganter eum interpretatus est, ut non possum, quin ipsissima ejus verba hic subjungam. „Si maritus, inquit, patrem habeat, uxor in mariti quidem manum convenit, sed in ejus patria potestate est: itaque marito tamquam filia, ejus vero patri tamquam neptis est, *propterea sua heres esse non potest, nisi maritus sit de medio sublatus, qui eam gradu praecedit.*“ — Perinde enim ut liberi jam nati, patris filii familias emancipati vel adoptati non sequantur conditionem, sed in avi remaneant potestate: ita et uxor, quae in manu est, quippe quae in omnibus fere instar est filiae mariti, quare et in mariti emancipati manu esse desinit, atque in soceri remanet potestate, tamquam ejus neptis. Cui quidem quod ait ULPIANUS ****) „sui autem heredes sunt — uxor, quae in manu est, et nurus, quae in manu est filii, quem in potestate habemus,“ ob stare videtur; sed, vel paucis tantum mutatis literulis, ita, „nurus, quae

*) *noct. att.* Lib. XX, c. I.

**) *de emancipationib.* Diff. I, prolegom. §. 18.

***) in not. ad *Caji Instit.* Lib. II, tit. VIII, pr. nota o (ap. SCHULTING p. 133.)

****) *Lib. regular.* Tit. XXII, §. 14.

in manu erat filii, quem in potestate habuimus^c reponamus, vel, si durior forte haec tibi videatur emendatio, hunc certe sensum fuisse *Ulpiani*, utique dicimus necesse est. — Ut enim nepos, neptisve sui heredes sint, non sufficit, eum eamve in potestate avi mortis tempore fuisse: sed opus est, ut pater ejus, vivo patre suo desierit suus heres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus potestate: tunc enim nepos neptisve in locum patris sui succedit*). Nurus itaque, quae in manu adhuc est filii, in potestate quidem foci est, neque tanten sua ei heres; non magis ac nepos e filio, qui e potestate patris ipse nondum egressus est, quo tandem facto, nurus quoque sua heres incipit esse socero.

§. XIV.

Numne emancipatus in gente remanserit patris? disceptatur.

Quid de emancipatis dicendum? non ita facile expeditum est. Longe enim aliter rem se habere in iis ac in adoptatis, vel maxime ex eo jam apparet, quod hi in alienam transfrent familiam, illi vero non nisi ex patris potestate exirent atque sui juris fierent. Qua tamen in re defunctorie tantum agamus, latiora atque meliora, futura forsan occasione daturi; omnia enim nunc nos monent, ut, quod prolusionis academicae jamjam fere egressum est limites, finem tandem imponamus scripto.

Acriter inter doctos homines disceptatum est **): num jus vendendi atque occidendi liberos fuerit patribus? Nos quidem hanc

*) Sunt verba §. 2. J. de heredum qualit. et differentia (II. 19).

**) GER. NOODT *Julius Paulus s. de partus exposit. et nece ap. veteres. Ejusd. amica responsio* ad Corn. van Bykershoek. (Opera omnia Col. 1732. T. I. Corn. van BYNKERSHOEK *de jure occidendi, vendendi et exponendi liberos ap. vet. Rom. EJUSD. curae secundae* (Opera omnia Colon. Tom I.) Ge. Christ. GEBAUERID. *de patr. potest.* Goett. 1751. 4. Legi quoque merentur: ALEXANDER

litem nostram non faciamus, si tamen quod res est dicendum, emancipationis vis ac effectus maximam partem non nisi ex seria liberorum venditione, quae primitus certe patribus competeabant, explicari potest; maxime si patronatus jura respicias, quae manumissor in filium, perinde ac si verus ejus esset libertus consequeretur, et quae tanti habebantur, ut pater naturalis adjecto fiduciae pacto, quo cavebatur, ne filium tertio manumitteret emptor, sed patri potius naturali eum remanciparet, sibi prospicere solet. Unde et emancipationis nomen ortum est; sicuti enim omnes fere rerum venditiones, ita et filiorum, solempni illa mancipatione quae per aes et libram fiebat celebrabantur. Nec proprie *emancipare* et *mancipare* voces differunt *), sed prior quoque omnibus, quae his adhibitis solempnitatibus peragi necesse erat, convenit; nisi forsan dixeris: per emancipationem ita alienari rem, ut ad nullum alium ultra transeat, id quod derivativae vel secundariae vocabuli significationi, qua ad eum solum, qui patria liberatur potestate, transfertur, propius jam accedit. — Nec fortasse XII tabularum aevo, trina illa imaginaria liberorum venditio, proprius jam erat modus patriam finiendi potestatem, cum XII tabularum verba: „Si pater filium ter venunduit, filius a patre liber esto,“ ita probe intelligi queant: ut in *patriam* non rediret *potestatem* filius ter venditus; minime vero inde jam efficiatur, ut ne in *alienam* recideret *potestatem* **). Quam tamen, cum nec ullo veterum scriptorum testimonio probari possit, sed solis innitatur ratiocinationibus, missam jam faciamus rem.

ad *Caji Inst.* Lib. I. Tit. VI. not. 42 (ap. SCHULT. p. 56.) et SCHULTING ad *Ulpian.* Tit. X. §. 1. not. 6. (Jpdtia ante Justin. p. 592.)

*) *FESTUS de verb. signif.* h. v. BRISSONIUS de V. S. voce: *emancipare*. SCHELTINGA D. I. de *emancipationib.* cap. I. §. 2.

***) HUGO *Rechtsgefch.* 2 Aufl. §. 64. 3 Aufl. §. 60. Simili modo et SCHELTINGA l. c. cap. 3. §. II haec duodecim tabularum verba intellexisse videtur, qui tamen paulo obscurius loquitur.

Nihil habet dubitationis, quin jura agnationis amiserit emancipatus *), omni quippe vinculo civili inter eum eosque, quibus antea erat agnatus, penitus sublato. Num vero e gente quoque egressus sit? in eo non jam omnes inter se consentiunt Jureconfulti. Affirmatur a SCHELTINGA **), qui „neque moror, inquit —, flautentes, emancipatos agnationis quidem jura per emancipationem amittere, gentiles vero manere, unde tum porro sequeretur, eos per XII tabular. legem — a successione legitima non plane exclusos sed post agnatos ex jure gentilitio admissos fuisse; non inquam hos moror; solus enim *Ciceronis* locus eorum errorem abunde detegit, qui (*Top. 6.*) gentiles hoc modo definit —, *sunt; qui inter se ejusdem nominis sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti*; tacite, ni fallor, hoc ipso innuens, capitis deminutione adeoque et emancipatione gentilitia jura in totum perimi.“ — Num quaevis capitis deminutio minima, eos, quos vult *Scheltinga* operabatur effectus? jam supra quaesivimus et ibi negavimus. — Hanc vero rem de qua hic agitur ita mihi propono: Emancipato, perinde uti et alii liberto, ejus a quo manumissus est, gens atque nomen obtingebat, et manumissor, sive extraneus filii emtor, sive pater naturalis contracta fiducia esset, patronatus in eum consequeretur jura. — Quae omnia et post serias liberorum venditiones, quinimo et post solemnitates hasce abolitas, esse adhuc servata, innumeris fere edocemur juris nostri locis, e quibus allegare tantum placet: §. ult. *J. de legitima adgn. succ.* (III. 2.) et L. I. D. *si a parente quis manumissus sit* (XXXVIII. 12.), ubi disertè eman-

*) Vid. omnino §. 9. *J. de legit. patronar. tutela* (I. 18.) et interpp. ad h. §. L. II. D. *de suis et legitim.* (XXXVIII. 16.) §. 3. *J. de hered. qualit. et differentia.* RITTERSHUSIUS ad Instit. Lib. I. Tit. 16 init. p. m. 102. CHLADENIUS in diatr. de gentilitate veter. Romanor. §. 37. p. 63. GLUECK Erläuter. d. Pand. n. *Hellfeld.* II Bd. §. 158. (2 Aufl. p. 407.)

**) l. c. Diff. II. §. 13.

cipatus liberti exitum pati traditur. — Quare, si excipias forte maculam illam, veris libertis ob justam quam serviverant servitutem inhaerentem, omnia eodem modo in emancipato ac in illis procedebat. Quapropter non solum juri patronatus ipse erat subjectus, sed progenies quoque ipsius eodem nunc in manumissoris gente utebatur jure, quo reliquae inferioris in eadem gente conditionis familiae, et deficientibus agnatis, ad *gentiles*, seu ad principem in gente familiam, eorum pertinebat haereditas.

Minime quidem incommodi ex emancipatione sentiebant emancipati a patre, cui et ipsi jura gentilitia non erant. Lucri enim cujusvis faciendi causa emancipationes plerumque factae sunt; id quod filiis familias, qui ex isto *juris civilis rigore* omnia patri, nihil vero sibi adquirebant, damnum ob successiois jus in patris familia amissum illis emergens, resarcire posset. — Longe vero alia ac durior gentilium proprie talium emancipatorum erat conditio, quippe qui et in eorum nunc, qui communi jure gentiles vocantur, bona succedendi privarentur jure, et inferiore in gente jure censerentur inciperent. Dubitari quidem non potest, rariores fortasse occurrisse casus, quibus inviti emanciparentur, nec a patribus satis prospiceretur emancipatis ne in egestate degerere cogerentur *); tamen, quia dignitate adeo nonnumquam minuebantur, quae vero nulla re eis restitui potuit, nec prius invaluisse, vel certe non ita frequentes factas esse emancipationes apud patricios arbitror, quam, omnibus demum exaequatis fere plebejorum atque patriciorum juribus, jam non, qui a potestate patria liberarentur, humiliorem tuerentur locum, nec non novo succedendi ordine a Praetore introducto, emancipatorum atque suorum jura confunderentur propemodum.

Summa itaque disquisitionis nostrae huc fere redit: e familia quidem egressum esse, atque omnium jurium eidem annexorum, itaque et gentilitiorum, si quae antea illi essent, jacturam fecisse emancipatum; in gentilium vero communium seu improprie talium

*) SCHELTINGA l. c. D. I. cap. V. §. 5.

numero, modo pacto adjecto fiduciae ipse ejus pater naturalis esset manumissor, quod fere fieri solebat, cum remansisse. Cui nec obstat *)
 §. 9. I. de hereditat. quae ab intestato deseruntur, ubi Imperator: „Emancipati autem, inquit, liberi, jure civili nihil juris habent: neque enim sui heredes sunt, quia in potestate parentis esse desierunt, neque ullo alio jure per legem XII tabularum vocantur.“ — Aliud enim est, heres jure gentilitio existere, aliud vero in eadem esse gente; neque ex hoc jam sequitur illud.

§. XV.

C l a u s u l a.

Neque mirandum, nudae familiae mutationis eam fuisse vim, ut, qui adoptione, in manum conventionem atque emancipationem egrederentur e familia, nulla in ea amplius retinerent jura; quippe quod non magis ac cognatorum omnium exclusio, tum ex singulari familiarum Romanarum jam sequeretur ratione et natura, cum jurium aequabilitati inter cives Romanos conservandae egregie inserviret. Integrum, et, si ita loqui licet, clausum quasi corpus quaelibet erat familia, nec aliis quam qui sub unius communis stipitis potestate patria omnes fuissent, in illa erant jura. Quibus vero caret in una quisquis familia hereditatibus, earundem in altera tamen particeps fit; nec antiqui juris ratio, in duabus simul familiis esse heredem civem Romanum, patitur. Egregie, uti solet, VINNIUS*): „nam quae, inquit, injuria est in naturam, si is, qui jus percipiendarum hereditatum, in sua familia habet, ut suus, aut agnatus, non admittatur eodem jure in familia aliena, ne duabus

*) uti existimat GLUECKIUS v. cl. in *der Intestaterbfolge* p. 148. not. *).

***) ad Instit. Lib. III. Tit. I. §. 15. nr. 2. cf. et BYNKERSHOEK *observation jur. Rom.* Lib. II. obs. I.

in familiis simul regnum teneat? Quod et in emancipatos atque liberos naturales potest conferri; licet enim in nulla tantisper regnum teneant familia, cum nulli nunc quidem illis sunt agnati, tamen, quia propriae ipsi familiae auctores esse certe possunt, non persona tantum in iis sed et jus demonstratur *). Et foeminae adeo, excepto forsan, quo lex Voconia, iniqua sane atque incommoda, vigeat tempore, una cum masculis, ad defunctorum hereditates admittebantur; in mariti quidem familia, si in manum conveniendo ad eam transiissent, sin minus, in paternis illis prospectum erat familiis. Quae, si rite consideres, ad eas quas HUGO v. cl. hic movet difficultates **) e medio tollendas sufficient.

Neque injuria fiebat foeminis, quod liberos in potestate habere non possent, cum vel maxime ad singularem illam familiarum Romanarum conservandam rationem, non per eas, sed per masculos tantum, nomen nec non memoriam in posteros propagari, esset necessarium. De muliere ait quidem ULPIANUS ***): familiae suae caput eam esse ac finem. Quod tamen minus accurate dictum, atque non nisi oratorium esse apophtegma, semper equidem arbitratus sum. Quamquam enim de filio emancipato, sine liberis ex justis nuptiis procreatis defuncto, caput eum esse ac finem familiae suae, recte dici possit: mulieri tamen, quae quippe jure liberos in potestate habendi, omnino carebat, minime hoc convenit, cum in illa ne jus quidem demonstraretur, ut idem ait Jureconsultus. Matris quidem liberi naturales sequi dicuntur conditionem ****),

*) L. 195. §. 2. de V. S. (L. 16).

**) *civilist. Magazin* Bd. II. St. I. p. 98. 105. 113. 114. 115.

***) L. 195. §. 5. de V. S.

****) ULPIANUS lib. regular. T. V. §. 8. et l. 24. D. de statu hom. (l. 5) Caeterum de naturalium conditione vide omnino: HEINECCIUM in *comment. ad Leg. Jul. et Pap. Popp.* Lib. II. c. 4. §. 4. p. 169 sqq.

quod tamen non nisi ad libertatem, civitatem, et gentem spectat. In eadem enim cum matre gente fuisse spurios, nullus quidem dubito; qui vero neutiquam, licet e familia illius gentis nobiliore esset genitrix, non magis ac liberti atque emancipati, optimo quoque jure gentiles facti sunt.

Tantum satis esto pro praesentis temporis ratione! Quod superest, ad Vos nunc me converto Commilitones carissimi atque ornatisimi! Vobiscum jam mihi erit res, qui per biennium, quo legitimam in hac alma literarum universitate docerem scientiam, quod perpetua grataque recolo memoria, assidui attentique lectionibus meis interesse me dignati estis. Vestrum causa hanc, quae praemissa est, meditationem exaravi, quippe qui lectionum mearum, quas per futurum semestrem brumale studiis Vestris dicavi, feriem, nec non quibus horis quave ratione singulas expediturus sim, exponere Vobis apud animum constitui.


Publicis itaque *scholis*, hora postmeridiana III-IV, examinatorium in Pandectas, servato, quem vocant legalem, ordine, instituam; quocum simul jungere elaborationes a Vobis ipsis componendas, fert animus. Jam sua sponte, quantum ex hujuscemodi exercitationibus fructum capiant juvenes studiosi apparet, quare iis commendandis ultra laudandisque, supersedere possum. *Lectionibus privatis*, hora matutina VIII-IX encyclopaediam et methodologiam juris, ad normam libri mei hoc ipso anno editi, vobis exponabo. Quantopere ad solidam jurisprudentiae cognitionem proficiant haec artis nostrae prima elementa, quae tamen proh dolor!


cum maximo tironum incommodo negligi saepius solent, experientia, optima sane magistra, satis superque probatur.


Jus civile Justinianicum, seu Institutiones juris Romani, *Heineccii* secuturus compendium a *Waldeckio* limatum, hora IX-X exponam.

Hora denique XI-XII jus germanicum privatum, rationem simul habiturus juris privati patrii, e libro cui titulus: *Jus germanicum privatum*; in usum lectionum academicarum adumbravit C. A. G. *Goede* (Gött. 1806.) docebo. Haud quidem ingrata mihi erat adhortatio Vestra, ut, quod nunc jam elapsum est, semestri aestivo, egregiam hanc prudentiae nostrae partem traderem: academicis vero, nec non forensibus occupationibus impeditus distentusque, simul tamen fretus benevolentia gratiaque Vestra, qua me ideo desitutum haud iri, persuasum mihi habebam, quo minus hanc susciperem provinciam, haud dubitavi. Religio praeterea erat, alios rem jam docere, cujus solidiore ipse nondum imbutus essem cognitione, quippe quae a pristinis meis studiis longe esset aliena. Jam vero haud imparato res accidit, quare morem Vobis lubens geram, operamque meam, quantulacunqua est, hanc ediscere cupientibus disciplinam, offero.


Frequentes itaque adeste, juvenes, laetam spem sui facientes, et (id maxime precor), seduli intentique interesse his praelectionibus velitis. Nullos vestri causa labores, nullas lucubrationes defugere me videbitis; nulli denique me parciturum operae studioque, quo benevolentiam, qua me adhuc ornastis, integram mihi servarem, data dextra fidem accipite. Dabam e Musco VI ante Id. Septembr. MDCCCVII.











quod tamen non nisi ad libertatem, civitatem, et gentem spectat. In eadem enim cum matre gente fuisse spurios, nullus quidem dubito; qui vero neutiquam, licet e familia illius gentis nobiliore esset genitrix, non magis ac liberti atque emancipati, optimo quoque jure gentiles facti sunt.

Tantum satis esto pro praesentis temporis ratione! Quod superest, ad Vos nunc me converto Commilitones carissimi atque ornatisimi! Vobiscum jam mihi erit res, qui per biennium, quo legitimum in hac alma literarum universitate docerem scientiam, quod perpetua grataque recolo memoria, assidui attentique lectionibus meis interesse me dignati estis. Vestrum causa hanc, quae praemissa est, meditationem exaravi, quippe qui lectionum mearum, quas per futurum semestre brumale studiis Vestris dicavi, scientiam, nec non quibus horis quae ratione singulas expediturus sim, exponere Vobis apud animum constitui.

Publicis itaque *scholis*, hora postmeridiana III-IV, examinatorium in Pandectas, servato, quem vocant legalem, ordine, instituiam; quocum simul jungere elaborationes a Vobis ipsis componendas, fert animus. Jam sua sponte, quantum ex hujusmodi exercitationibus fructum capiant juvenes studiosi apparet, quare iis commendandis ultra laudandisque, superfedere possum. *Lectioibus privatis*, hora matutina VIII-IX encyclopaediam et methodologiam juris, ad normam libri mei hoc ipso anno editi, vobis explanabo. Quantopere ad solidam jurisprudentiae cognitionem proficiant haec artis nostrae prima elementa, quae tamen proh dolor!